THEOLOGICAE INSTITUTIONES

CUM

RECTA NATURALI RATIONE

UT PLURIMUM CONSOCIATAE


OPERA ET STUDIO

A. R. P. CHERUBINI A PALMA

INTER

MIN. OBSER. PROV. NEAPOLIS

LECTORIS JUBILATI.



TOMUS SECUNDUS.








NEAPOLI

EX TIPOGRAPHIA CAJETANI REALE

1842.





INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM.

LIBER SECUNDUS.

DE LOCIS THEOLOGICIS.

Demonstrata, et vindicata in superiori libro, et forsan pluribus verbis, quam instituti ratio postulabat, adversus infideles omnes, veritate nostrae Sanctissimae Religionis Christianae, licet in genere, tempus nunc est, studiosissimi Juvenes, ut animum, et vires omnes convertatis ad refellendos falsos Fratres, qui contra puram Christi doctrinam rebellantes vel inconsutilem Christi vestem, Ecclesiam scilicet, scindere sunt conati, vel falsis doctrinis non pauca dogmata depravarunt. Necesse est nunc, ut jam ab initio vos monui, pressiorem Dialecticae stylum, si non deserere, moderari tamen in hoc altero libro, quem pertractandum aggredimur, de locis nempe Theologicis. Dixi *si non deserere*, quia

non parvo usu, et utilitate adhuc potest esse Dialectica ad statuendum fontem, unde fas, Theologum sua argumenta depromere ad firmanda dogmata, et Haereses profligandas. Id fortasse vobis displicet: sed recordamini, quod non amplius philosophiae, sed Theologiae modo datis operam. Eja ergo, renovate vires, et quo animo incepistis, eodem durate.

2. Nomine Locorum Theologicorum intelligimus fontem, unde Theologi sua argumenta desumunt ad stabiliendas, et vindicandas fidei veritates. Etenim cum Theologia sit scientia, et quidem omnium nobilissima, et sublimissima, quia cominus contemplatur ipsum fontem luminis, et omnium Creatorem, Conservatorem, et futurum Glorificatorem: cumque, scholastica praesertim, non simpliciter asserit, sed ex tutissimis principiis suas deducat veritates, inde fit, ut absolute indigeat argumentis, seu rationibus, quibus suum expleat munus. Sed agit de Doctrina Revelata, quae supra humanam rationem sua dogmata tradit, secus enim non fuisset necessaria: Ergo praeter humanam rationem fons quaerendus est, unde Theologi sua argumenta desumant.

3. Sed quinam erit iste Fons? Res per se clarissime patet. Est ipsa Divina Revelatio: Est infallibilis Dei auctoritas, qui quoniam perfectissimus est, et omnino falli, ac fallere nescius, nullum relinquit locum dubitandi de veritate illorum, quae revelare dignatus est. Ergo unicus fons est ipsa Divina Revelatio.

4. Verum quia quae Deus revelavit, alia Scripturae tradita fuerunt, alia voce tantum a parentibus in filios sunt transmissa, ut mox videbimus: ideo duplicem di-

cimus Theologicorum argumentorum fontem veluti duplicem nostrae Fidei regulam, Sacram scilicet Scripturam, et Divinam Apostolicam Traditionem.

5. Utique per se satis est duplex iste fons. Sed quia saepe, imo quasi semper, sacra Scriptura legitimo, et infallibili interprete indiget; sicuti et simili infallibili Judice indiget doctrina tradita; ideo tertius Theologicus locus est Ecclesia, cui clarissime Christus ipse adpromisit infallibilitatem. Et merito quidem: nam ubi lex vel dubium exhibet sensum, vel in sensum falsum detorquent novatores spiritus, procul dubio interprete opus est omni auctoritate, et infallibilitate praedito. Ergo tertius Theologicus locus est Ecclesia.

6. Et quia Ecclesia vel considerari potest in Conciliis Oecumenicis congregata, vel repraesentata a Romano Pontifice legitimo Petri, et Christi successore; inde fit, ut alii duo habeantur Theologici Loci, Concilia scilicet Oecumenica, et Romanus Pontifex.

7. Sed et Concilia, et Pontifex maxime in determinanda doctrina voce Tradita, sive Traditione divina Apostolica, et in secernenda a falsa, et ficta, utuntur doctrina sanctorum Patrum, alter proinde sequitur locus, unde Theologi sua desumunt argumenta, nempe sanctorum Patrum auctoritas.

8. Quandoque, cum sermo erit de facto, Theologi utuntur quoque Historia; et quandoque. etiam Doctrina Theologorum Scholasticorum, Canonistarum, et praesertim naturali ratione, qua ex veris fontibus, ex Scriptura scilicet, Traditione, Ecclesia, Conciliis, et Decretis summorum Pontificum, veluti pro corollariis deducunt

veritates ad Fidei dogmata proxime accedentes. Et inde factum est, ut usque ad decem a nonnullis Loci Theologici numerentur; quibus tamen non eadem vis, et robur tribuendum est. Quippe proprii fontes sunt Sacra Scriptura, et Divina Apostolica Traditio. Ecclesia sive in Conciliis Oecumenicis, sive repraesentata a Romano Pontifice, media tuta praebet ad statuendos veros libros sacrae Scripturae, et ad secernendam Traditionem Divinam ab humana, nec non ad infallibile judicium ferendum de vera sententia utriusque Revelatae doctrinae. Doctrina Sanctorum Patrum inservit Ecclesiae ad recensita sua munera exequenda. Et idem quodammodo praestant sententiae Theologorum, Canonistarum, et Historia. Ac tandem ratio naturalis inservit, ut diximus, Theologo ad suas conclusiones rite deducendas. Itaque sit

PARS PRIMA.

DE SACRA SCRIPTURA.

9. Plura in hac priori parte a Theologis investigantur, et vindicantur. Nos illorum vestigia sectantes primo verba faciemus de genuitate librorum tam novi, quam veteris Testamenti. Secundo de doctrina Revelata, quae in illis continetur. 3.° de Canone Scripturarum Sacrarum. 4.° de illarum integritate: 5.° de variis versionibus earumdem: 6.° de intelligentia, et sensu earumdem: Et tandem de Sacrae scripturae Auctoribus. Sit ergo.

CAPUT PRIMUM.

De genuitate librorum tam Novi, quam Veteris Testamenti.

10. Non defuerunt, et utinam desint modo, qui genuitatem denegarunt multis libris tam Novi, quam Veteris Testamenti, et praesertim Pentateucho, quinque scilicet Moysis libris, qui sunt Genesis, Exodus, Leviticus, liber Numerorum, et Deuteronomium. Contra hos omnes nunc agimus. Et ut facilior nobis via aperiatur, primo sermo erit de libris Novi Foederis. Sit ergo

PROPOSITIO I.

Libri Novi Foederis genuini sunt, non suppositi.

11. *Prob. I.* Nullimode dubitare fas est de illorum genuitate librorum, qui semper, et continuata serie aetatum ab omnibus constanter tales habiti sunt. Quippe nulla alia de causa Ciceroni, aliisque Auctoribus sua cuique opera certo tribuuntur, nisi quia ita semper omni tempore constanter illis tributa fuere. Et merito quidem; secus enim prorsus actum esset de quacumque antiqua veritate. Sed res ita se habet respectu librorum Novi Foederis. Ergo genuini ipsi dicendi sunt. Minor ex se patet. Etenim nedum Orthodoxi ab aetate usque Apostolorum, uti fuerunt Ignatius, Policarpus discipuli Joannis Apostoli, Papias, et ita omnes deinceps in omni saeculo usque ad praesens sic pro certo crediderunt, et tradiderunt; sed idipsum nusquam inficiati sunt Haeretici, nec ipsi etiam Gentiles. Et quidem Haeretici varios docuerunt errores, at nunquam ausi sunt denegare genuitatem Libris Novi Testamenti, et aliis, quam Christi Apostolis, illos adjudicare, etsi maxime eorumdem auctoritate praemerentur. Ethnici, uti Celsus, Julianus Apostata, et alii vexarunt quidem nostros Sanctos libros; at nusquam dubitarunt, fuisse ab illis conscriptos, quibus tribuuntur.

12. *Prob. II.* Libri Novi Foederis magna ex parte sunt Divi Pauli Epistolae, in quibus veluti summa continetur Doctrinae, et gestorum Jesu Christi, et quibus saepius urgentur Haeretici. Ergo si ab aliquo im-

postore editi fuissent Libri Novi Foederis maxime fuissent Paulinae Epistolae. Sed quaero, fuerunt ne ab aliquo impostore suppositae, Paulo adhuc vivente, an vero post mortem ejusdem? Si illud, certo id latere non potuisset Apostolum propter intimam consuetudinem, quam habebat cum Ecclesiis quibus datae fuerunt, et propterea reclamasset contra impostorem; et item illius Discipuli non cum tanta religione servassent, et ad posteros transmisissent. Sed Apostolus non reclamavit, et discipuli maximo honore, ut par erat, retinuerunt, et docuerunt. Ergo etc. Sed nec alterum dici potest: quomodo enim defuncto Apostolo, persuasum fieri poterat tot nationibus, et quidem eruditis, et prudentibus, et maxime Romanis, datas sibi fuisse a Paulo Epistolas, quas, illo vivente, nec acceperant, nec legerant, praesertim cum non pauca in illis occurrant, quae honorifica ipsis non erant? Concludendum igitur etc.

Variae objectiones.

13. Plura adduci solent contra nostram Thesim praesertim a Gentilibus: sed quia parvi momenti omnia ipsa habenda sunt, ideo simul afferimus, et breviter resolvimus. Itaque dicunt primo: Qui a vobis auctores dicuntur Librorum Novi Foederis, prorsus rudes erant, et inalphabeti, erant enim pauperes piscatores. Quomodo ergo libros conscribere potuerunt? Alii ergo hanc excogitarunt imposturam.

2.° Testimonia veterum non sufficiunt, ut certi esse possimus, Libros Novi Foederis genuinos esse, quoniam falsa detecta fuerunt. Etenim hoc ipsum credebant, et dicebant de multis aliis libris, quos tamen postea omnes,

et ipsa Ecclesia, suppositos declaravit; uti sunt Evangelium secundum duodecim Apostolos, aliae Epistolae divi Pauli, alia Apostolorum acta, et altera Apocalipsys. Ergo eadem impostura, aut saltem error timendus est quoad caeteros libros.

3.° Multa a veteribus adducuntur veluti in Libris Biblicis contenta, quae revera in ipsis non reperiuntur, uti praesertim. *Estote probi nummularii.* Ergo saltem mutilati, aut corrupti dicendi sunt; et propterea nullius auctoritatis.

4.° Princeps Character necessarius pro veritate historica est, ut narrans sit indifferens, et nulli parti favens. Sed quomodo indifferentes Auctores Librorum Novi Foederis, qui omnes discipuli fuerunt Christi Nazareni, et adeo illi adhaerentes, ut vitam pro illo dare ausi sint? Causa ergo erat communis; et propterea fabellis, mendaciis, et imposturis referta existimanda est illorum narratio, cui eadem fides nobis praestanda est, quam habemus narranti suas actiones.

5.° Non leve argumentum falsitatis est, si scriptores aliqui facta mira et portentosa enarrant, dum alii coaetanei eadem sileant, maxime si id intersit historiae, quam scripserunt. Sed Historiographi Hebraeorum praesertim Philo, nihil omnino dicunt de factis tam miris, quae in libris Christianorum leguntur, licet ipsa maxime colligata erant cum historia, quam scripserunt. Ergo falsa, et ficta sunt habenda.

Tandem. Imperante Anastasio Evangelia emendata fuerunt. Cur quaeso? Certo vel quia genuina non existimabantur, vel quia jam essentialiter erant corrupta. Quomodo igitur nunc illa genuina dicere poterimus?

14. Respondetur ad omnia. Et quidem ad primum dicimus, quod nullus ex Apostolis erat inalphabetus, licet aliqui fuerint piscatores, quoniam omnes Judaei summa cura studebant suis legibus, et Scripturis, quocirca tam ignari, et imperiti esse non potuerunt Apostoli, praesertim ex quo quotidie audiebant coelestem Magistrum Christum, cui nullus certe negabit maximum ingenium. Et quidem doctissimus erat in lege Judaeorum Paulus, qui plures scripsit Epistolas; Lucas erat Medicus, ac Philosophus et Matthaeus sedebat ad telonium. Quomodo ergo omnes illiterati? Caeterum duo distinquenda sunt in Libris Biblicis, doctrina scilicet, quae narratur, et stylus, quo narratur. Doctrina, quae in omnibus par est, non erat illorum, qui libros scripserunt, sed illis Divinitus revelata; Stylus autem est varius, simplex scilicet, medius, et eruditus, prout fuerunt Scriptores.

15. Ad secundum dicimus, quod potius favet nostrae thesi, quam officit. Cur enim aliqui libri rejecti, et expulsi fuerunt, et alii non item? Quia procul dubio inter genuinos ab impostoribus, aut saltem a nimis simplicibus, alii quoque intrusi fuerunt. Ergo sicut exclusio istorum arguit non fuisse genuinos, ita contra arguit inclusio, et approbatio illorum.

16. Ad tertium respondemus, quod veteres, quia forsan tempus ipsis deerat, testimonia Scripturarum non ad verba, sed ad sensum proferebant; et quia memoriter; inde factum est, ut aliqua varietas habeatur, verum non sententiarum, sed verborum, et quandoque etiam librum pro libro laudabant. Quod autem pertinet

ad illam sententiam. *Estote probi nummularii.* Sanctus Hjeronymus opinatur, fuisse a Christo pronunciatam, et voce tantum traditam; et alii censent, desumptam fuisse ab Evangelio secundum Hebraeos, in quo revera illa legebatur, quodque genuinum existimabatur ab aliquibus. Rejectum fuit hoc Evangelium, et non amplius mentio facta est ejusmodi sententiae.

17. Ad quartum, quod objicitur ab impiissimis Spinoza, Hobbesio, Tolando, Chollino, et aliis, dicimus, quod penitus dissipatum fuit ab Eusebio Caesariense lib. 3. Evangelicae Demonstrationis num. quinto. Nos autem respondemus, quod animus indifferens satis evidenter apparet in Scriptoribus Librorum Novi Foederis, ex quo, dum mira, et divina enarrant sui Praeceptoris Christi, non silent tamen, illum fuisse tristem, taedio affectum, et multum animo turbatum: et nitida simplicitate libentissime fatentur, se illum deseruisse, et fugisse, ac Petrum, etsi caeteris praepositum, ter illum negasse. Ecquid ista, si favoris spiritu scripsissent? Numquid timor, et animus ingratus honori poterat esse ipsis, et Praeceptori, quem praeter meritum laudibus extollere volebant, pavor ejusmodi, ut factus sit sudor ejus, sicut guttae sanguinis decurrentis in terram (Lucae XXII. ♰. 44.)? Sed animi candor, et vera sinceritas maxime lucet, ex quo nullum bonum, nullum honorem, nullas divitias, aut opes expectabant sibi Auctores nostrorum Sacrorum Librorum; quinimmo ludibria, persecutiones, et mortem. Ergo nisi stupidos prorsus, aut furiosos amentes illos dicant adversarii, quod certe non audebunt, fateantur oportet, fuisse eosdem animo indifferenti, et veritatis rigidos amatores.

18. Quod quinto loco dicebatur, contra adversarios ipsos retorquemus. Si Judaicorum Scriptorum erat veram texere historiam suae nationis, procul dubio princeps illorum officium erat refellere omnia, quae falsò ab aliis in dedecus suae nationis enarrabantur. Sed quae narrantur in Libris Apostolorum in maximum cedunt dedecus illius, quinimmo et funditus quoque evertunt Judaeorum Religionem, qua nihil ipsis magis erat carum. Ergo silentium Scriptorum Judaicorum invictissimo argumento est pro asserenda veritate illorum, quae in nostris Biblicis Libris reperiuntur.

Sed crescit argumentum. Non unus, sed plures fuerunt Scriptores nostrorum Librorum, qui licet non conveniant in ordine, et verbis, mire tamen concordant in sententiis. Ergo narratio unius confirmatur ab aliis. Imo quae ab ipsis narrantur, ex aliqua parte confirmata fuerunt a Scriptoribus Gentilibus etsi remotis. Sic de Christo mentionem faciunt Svetonius, Plinius Junior, aliique. Celsus apud Origenem lib. primo dicit: Jesum natum fuisse in Oppidulo Terrae Judae, et profugisse in Ægyptum: Macrobius lib. secundo Saturnalium mentionem facit caedis infantium, quam impius Herodes imperavit occasione Nativitatis Jesu. Tacitus lib. XV. habet. *Auctor nominis ejus (Christianismi) Christus, qui a Tiberio Imperante per Procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat.* Si remoti Gentiles aliqua verba fecerunt de illis, quae ad Jesum spectant, dicendum, quod magnus rumor erat de vita, et gestis ejusdem. Cur ergo Judaei Scriptores, qui omnia noverant, nihil retulerunt? Magnum argu-

mentum est illorum silentium pro veritate factorum. Tacuerunt, quia non poterant mendacii redarguere Evangelicos Scriptores: Tacuerunt, ne Judaicum Populum ludibrio exponerent aliarum Nationum. Tacuerunt, ne indignationem subirent et Populi, et maxime Magistratuum.

19. Ad postremum dicimus, quod oppido mentitur Chollinus dicens, quod sub Anastasio Evangelia emendata fuerunt. Quippe non fuerunt emendata, sed revera corrupta. Impius Imperator Anastasius acerrimus fautor Eutychianorum, qui unam in Christo admittebant naturam, in exilium misit Macedonium Episcopum Constantinopolitanum, propterea quod fortiter Eutychianorum Haeresi obsistebat: et ut id rite fecisse ostenderet, dixit versutissimus Imperator, Sanctum Episcopum falsasse Evangelia, quae proinde praetextu emendationis reipsa interpolare fecit. Ergo ab Haereticis, non ab Ecclesia, et quidem interpolata, non emendata fuerunt Evangelia. Ita constat ex Liberato Diacono Breviarii cap. 19.

20. Caeterum haec, et similia parum nostra intersunt, sicut et non multum interest, ut Libri Novi Foederis ab illis conscripti demonstrentur, quorum nomina praeseferunt. Etenim in superiori libro fusius, et rite demonstratum est, solam Christianam Religionem veram esse, et in illa sola reperiri Doctrinam Revelatam quae quidem in omnibus vera esse debet, quoniam est a Deo, qui est veritas per essentiam. Sed doctrina Christiana maxime continetur in Libris Novi Foederis. Ergo Divini ipsi sunt, et a Deo est illorum doctrina, qui-

cumque fuerint Scriptores. Eadem de causa superfluum omnino putamus demonstrare, illos esse divinos. Rationes pro veritate nostrae doctrinae sunt eaedem, quae allatae fuerunt, cum demonstravimus in superiori libro, Divinam Revelationem reperiri apud nos Christianos: et eadem sunt quoque praecipua momenta, quae ab adversariis objiciuntur, et nos ibidem rejecimus. Quocirca brevitatis causa aliqua potius disputanda arbitramur de Libris Veteris Testamenti, quos etiam ut vere Divinos tuemur, ac veneramur. Et propterea sit

PROPOSITIO II.

Libri Veteris Testamenti genuini sunt, et non a Christianis Confecti.

21. *Probatur.* Judaei omnes, etiam nostris temporibus, Libros Veteris Testamenti pro genuinis agnoscunt, et venerantur. Sed illi sunt in omnibus iidem, ac nostri. Ergo a Christianis neque conficti, neque interpolati sunt. Id clarius evincitur ex Paraphrasibus, et versionibus, quae nunc extant, et quae quidem editae fuerunt antequam innotesceret Religio Christianorum. Et quidem a Scriptoribus Librorum Novi Foederis multa testimonia afferuntur ex Versione Septuaginta Interpretum. Ergo ante tempus Apostolorum haec versio facta fuit. (sed de ipsa redibit sermo). Propter diuturnam Babylonicam servitutem Populus Hebraeorum quasi oblitus fuerat patrio suo sermone: inde factum est, ut illorum doctores in chaldaicum idioma, et etiam graecum verterint libros legis

hebraice conscriptos. Si ergo ante Christi adventum istiusmodi versiones factae fuerunt, et extant nunc; et versiones Christianorum illis respondent, quomodo conficti, aut saltem corrupti a Christianis dici possunt libri Veteris Testamenti? Vana, et perridicula calumnia!

22. Quoad eosdem libros Veteris Testamenti alia non indifferens agitur quaestio, num revera Moyses, ut communiter opinamur, sit auctor priorum librorum, quos vulgo pentateuchum appellant. Pentateuchus idem est, ac quinque libri a graecis vocabulis *Penta*, idest quinque, et *Teuchos*, idest volumen. Hi libri sunt Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, et Deuteronomium. Genesis idem sonat, ac principium, quia in Genesi describitur mundi origo, et progressus mille tercentorum sexaginta novem annorum. Exodus significat exitum, et complectitur res gestas per centum quadraginta annorum, scilicet a dura servitute Populi Israelitici in Ægypto usque ad illius liberationem, et transitum maris Rubri. Leviticus sonat caeremoniale, et in ipso continentur, quae ad caeremonias pertinent, et ad munus Levitarum. Liber Numerorum exhibet computationem per tribus factam a Moyse, et Aaron. Tandem Deuteronomium a graecis vocabulis *Deuteros*, idest secundum, et *Nomos*, idest lex, significat secundam legem, aut fusiorem superioris legis explicationem.

23. Omnes Patres priorum saeculorum hos libros tribuerunt Moysi, et haec opinio corroborata a perpetua traditione Judaeorum, et Christianorum, veluti pro Orthodoxa semper habita fuit. Nihilominus propter levissimas conjecturas id negavit ultimis temporibus post

Thomam Hobbesium, et Spinozam. Riccardus Simon Congregationis Oratorii Confrater in suis Veteris Testamenti Criticis Cap. 2, ubi nihil aliud Moysi concedit, quam leges, et caeremonias, caetara vero tribuit publicis Notariis fictitiis. Contra istum ergo, et illos sit

PROPOSITIO III.

Pentateuchus omnium librorum antiquissimus Genuinum est Moysis Opus.

24. *Pr. primo.* Libros Novi Foederis Divinos esse, et auctoritatis absolute infallibilis, quoniam in ipsis Revelata Doctrina continetur Religionis Christianae, quae, sola vera est, invictissime demonstratum, et vindicatum fuit in superiori libro. Sed ex Libris Novi Foederis constat Moysen fuisse auctorem omnium Librorum Pentateuchi. Ergo etc. *Pr. min.* Marci XII. Legitur. *De mortuis autem, quod resurgant, non legistis in Libris Moysi super rubum, quomodo dixit illi Deus: Ego sum etc.* Lucae 2 habetur. *Vade ostende te Sacerdoti, sicut praecepit Moyses.* Et Joannis cap. V. v. 46. legimus. *Si crederetis Moysi, forsitan crederetis mihi. De me enim ille scripsit.* Ergo etc.

25. *Pr. II.* Ex ipso Pentateucho. Exodi XXIV habetur: *Scripsit itaque Moyses universos sermones Domini.* Et cap. 17. *Dixit autem Dominus ad Moysen: Scribe hoc* (Amalecitarum scilicet cladem) *ob monumentum in libro, et trade auribus Josue.* Deuteronomii XXI. legitur. *Scripsit itaque Moyses le-*

gem hanc. Scilicet praecepta, caeremonias, et historias. Ex quibus sic argumentari fas est. Ille liber est genuinum opus Moysis, qui a Moyse conscriptus fuit, nedum quoad universos sermones Domini, sed etiam quoad praecepta, caeremonias, et historias. Sed ex citatis locis quoad ista omnia Pentateuchus a Moyse conscriptus fuit. Ergo etc. His accedit, quod ab aliis libris Veteris Testamenti eidem Moysi omnes praedicti quinque libri tribuuntur. Sic Josue cap. VIII; et libro secundo Paralipomenon, et Malachiae quarto Moysi tribuitur Exodus. Esdrae lib. secundo cap. octavo, et XIV. tribuitur Leviticus. Item Paralipomenon cap. tertio, et Tobiae cap. septimo eidem adscribitur Liber Numerorum. Tandem libro quarto Regum cap. XVI. lib. 2. Paralipomenon cap. XXV, in lib. secundo Esdrae cap. XIII eidem Moysi asseritur Deuteronomium. Quid amplius desiderari possit pro nostra assertione jam non video. Verum quidem, quod non adhuc a nobis demonstratum est, libros Veteris Testamenti esse Divinos. Sed si pro asserenda genuitate librorum antiquorum sufficiunt testimonia veterum Historicorum, et Scriptorum, cur non idem dicendum est in re nostra?

26. *Pr. III.* Ille liber genuinus habendus est, qui talis semper ab antiquis temporibus ab omnibus scriptoribus constanter praedicatur. Sed talis est Pentateuchus. Et quidem in primo saeculo Apostoli in suis scriptis Sententias Moysis ex Pentateucho desumptas laudant. In secundo saeculo idipsum habemus ex S. Justino Martyre in Paranetica, et a Clemente Alexandrino lib. primo Stromatum. In tertio saeculo Origenes in expositio-

ne Psalmi primi, et D. Athanasius praefatione in psalmos, Moysi tribuunt Pentateuchum. Et sic, ut caeteros sileam, quarto saeculo Hieronymus in Epistola ad Paulinum, Innocentius primus in Epistola ad Exuperium Tolosanum Episcopum, et Melito Sardensis. Et Saeculo quinto Augustinus lib. primo de Doctrina Christiana cap. VIII.: et sic deinceps plura Concilia, nempe Laodicenum cap. ultimo, Romanum sub Gelasio, et tandem Tridentinum sessione quarta. Quid plura? Hoc ipsum confirmant innumeri etiam Gentiles Historici, et nominis Christiani infensissimi hostes, ut Porphyrius, et Julianus, Manetas Sebanita in Historia Ægyptiaca, Cheremon, qui tempore Ptolomaei Epiphanis scripsit Historiam Graecorum. Sed omnium instar sit Juvenalis, qui in satyra, volumen Legum Judaicarum non alium habere auctorem, praeter Moysen, canit hisce verbis.

Judaicum addiscunt, et servant, et metuunt jus.
Condidit arcano quocumque volumine Moyses.

Solvuntur objectiones.

27. *Ob.* Geneseos cap. duodecimo Abraham dicitur transisse usque ad Convallem Illustrem, et additur in parenthesi. *Chananaeus tunc erat in terra.* Videtur ergo, quod non amplius Chananaei erant in Palestina quando Auctor haec scripsit. Sed tempore Moysis nondum Chananaei ex illa Regione propulsi fuerant. Ergo Moyses non haec scripsit, et propterea dici non potest Pentateuchi auctor.

ℵ. Dum dicitur: *Chananaeus tunc erat in terra:*

sensus est, Chananaeum jam a tempore Abrahae illam terram incoluisse, quod quidem Moyses subnotare debuit, cum inter Abraham, et seipsum intercessissent anni circiter quatercenti; tum etiam ut intelligerent Hebraei, in quorum gratiam scribebat, Palestinam, vel ipso tempore Abrahae occupatam a Chananaeis, eam ipsam esse, quam Abrahae, et ejus semini dare Deus promiserat. Ergo nihil inde contra nostram Thesim deduci potest.

28. Atqui ex rebus, quae in Pentateucho narrantur constat, Moysen esse non potuisse illius auctorem. Ergo etc. *Pr. subs.* Geneseos cap. XXXV. 21. legitur de Jacob. *Egressus inde fixit tabernaculum suum trans Turrim Gregis.* Sed haec Turris nondum aedificata fuerat tempore Moysis, quoniam aedificata non erat Civitas Jerusalem, ad quam spectat. Ergo etc.

℞. Gratis omnino asseritur, laudato capite Geneseos sermonem fieri de Turri Jerosolymitana, etsi etiam fieri potuit, ut eadem turris, quae extabat tempore Jacob in Terra Chanaan, usque ad aedificationem urbis Jerusalem perseveraverit. Secundo fieri potuit, ut lapsu temporis illa consumpta, alia postea aedificata fuerit, aut saltem restaurata prior. Tandem dici potest, Moysen per *Turrim Grecis* designasse locum pascuis uberrimum uno milliario distantem Bethlehem, sic verosimiliter dictum, quod ibi Patriarcha suos greges pascere solebat. Et est idem locus, in quo Angeli pastoribus in Nativitate Jesu apparuerunt: Lucae cap. 2., ut opinatur Hjeronymus, et Tostatus; unde et Helena templum ibidem construxit sub nomine Angelorum, teste

Andricomio. Sed iterum dicimus: cum nihil certum constet de qua turri locutus sit Moyses, nihil inde concludi fas est contra nostram thesim.

29. *C.* Atqui ex illis, quae in Pentateucho enarrantur, evidentissime deducitur, Moysen nullimode esse potuisse auctorem Pentateuchi. Ergo etc. *Pr. min. sub.* In cap. ultimo Deuteronomii describitur Moysis obitus, et quomodo, et quamdiu populus illum luxerit, et sepultum fuisse a Domino in Valle Terrae Moab contra Phogor, et quod magis, subjungitur. *Et non cognovit homo sepulchrum ejus usque in praesentem diem.* Potuerunt ne haec scribi a Moyse? Et quis non videt evidentissime, haec scripta fuisse multo post mortem illius? Ergo etc.

℟. Frustra objiciunt adversarii, quod cap. ultimo Deuteronomii scripta leguntur, quae post Moysis mortem evenerunt. Ultro enim fatemur, haec non a Moyse, sed a Josue filio Nave, qui Moysi successit in regimine Populi Israelitici, vel ab alio Scriptore Canonico pro complemento historiae Moysis addita fuisse. Dixi *praesertim a Josue*, quia iste in omnibus, jussu Dei, Moysi successit, et Hebraeorum Historiam prosecutus est, ut videre est in libro sui nomine inscripto.

30. Multa alia opponi solent. Et primo dicunt Adversarii: Moyses tot curis implicitus erat, ut sibi elegerit septuaginta duos viros ad regendam Rempublicam Judaeorum: quomodo igitur tantum otii ipsi esse poterat, ut quinque libros scribere potuerit? Secundo. Josephus in Antiquitatibus Judaicis scribit, in Republica Judaeorum fuisse publicos notarios, quibus cura



erat texere annales. Ergo isti, non Moyses, scripserunt quinque Libros Pentateuchi, et quia sub Moyse scripti, honoris causa Moysis dicti fuerunt. Tertio Deuteronomii cap. primo legitur, Moysen locutum fuisse ad populum trans Jordanem. Sed nec Moyses, nec populus, ipso vivente, transivit Jordanem. Ergo vel mendax tantus propheta, vel non ipse est auctor Pentateuchi. Tandem multa in Pentateucho locorum nomina leguntur, quae longe posteriori tempore Moysis usurpata fuerunt. Ergo a Moyse scribi non potuerunt.

31. ℟. *ad singula*. Et ad primum, quod attinet, dicimus, quod inter tot curas Moysis in regenda Republica Judaeorum non minor erat illa texendi sui populi historiam. Id enim expresse praeceptum fuerat a Deo Exodi cap. XXXIV. v. 27. *Dixitque Dominus ad Moysen: scribe tibi verba haec, quibus et tecum, et cum Israel pepigi foedus*. Ergo si caeteris fecit satis, utique et huic quoque, maxime si meminerimus studii, quo populus Hebraeorum sua gesta literis mandabat.

32. *Ad secundum*. Non diffitemur concedere, apud Judaeos fuisse publicos Notarios, quibus cura erat colligere facta. Illi ergo colligebant, et Moyses texebat historiam. Quid inde? Forsan non idem faciunt historici omnes, qui ex factis sibi relatis, aut ex publicis documentis, sua scripta complent? Igitur potiori jure id facere potuit Moyses, qui spiritu Dei erat afflatus, ut falsa a veris secerneret.

33. *Ad tertium* dico, quod solitudo campestris contra mare Rubrum, in qua Moyses locutus est ad omnem Israel, Chananaeis est trans Jordanem, et Jero-

solimae cis Jordanem. Ergo Israelitae, qui tunc erant in Campestribus, dicebantur trans Jordanem respectu Jerosolimae, sive terrae, in qua postea Jerosolima condita fuit. Utique haec particula ab Esdra forsan posita fuit pro faciliori intelligentia.

34. *Idem respondemus ad quartum.* Post diuturnam Captivitatem Babylonicam ab Esdra divino spiritu afflato recogniti, et mendis expurgati fuerunt Codices Hebraeorum. Hac itaque occasione, pro majori intelligentia se accomodans captui sui populi ea apposuit locorum nomina, quibus tunc designabantur.

CAPUT II.

De Doctrina Revelata, quae in Libris Biblicis continetur.

35. Quoniam illud unum in toto priori libro agere conati sumus, demonstrare scilicet, solam Religionem Christianorum veram esse, et quidem in omni sui parte, quia tota innititur doctrinae Divinitus revelatae, quae absolute repugnat, ut vel minimam in se contineat falsitatem: cumque Religio isthaec praesertim reperiatur in Libris Novi Foederis; hinc veluti pro legitimo, et necessario corollario sequitur, nonnisi Divinos esse hujusmodi libros, et eorum Doctrinam Divinitus esse revelatam. Dubitant quidem nonnulli, nescio utrum imperite potius, quam impie, de canonicitate aliquorum: sed ipsorum error inferius rejicietur. Vanus ergo esset labor, si libros Novi Foederis divinos demonstrare co-

naremur. Jure itaque hac posita veritate, ad libros veteris Testamenti nostras vires convertimus. Sit ergo

PROPOSITIO IV.

In Pentateucho omnium librorum antiquissimo Divina Revelatio continetur.

36. *Pr.* Christianorum Religio veluti divinos recipit, et veneratur omnes quinque libros Pentateuchi. Sed Religio Christianorum, quia a Deo, ut fusius demonstratum est in priori libro, in nullo aut decipi, aut decipere potest. Ergo etc.

37. *Pr. secundo.* Moyses, praeter mira, quae humanam excedunt prudentiam, uti fuit illudere Regi Ægyptiorum, audere fugam arripere cum toto suo populo captivo, et viris, et mulieribus, et senibus, et pueris, et quidem sine opibus, sine curribus, sine quocumque medio ad bellum necessario, resistere numerosissimis exercitibus Pharaonis, nosse tam longiorem, et desertam viam, et per tot annos alere multa millia hominum; praeter, inquam, haec mira, quae peculiarem, et manifestam evincunt Dei protectionem, et proinde inspirationem, vera quoque stupendissima edidit miracula. Et quidem nonne miraculosae fuerunt plagae, quibus ante exitum Israelis Deus a Moyse rogatus percussit Ægyptum? Nonne miraculosi fontes aquarum, et manna, et coturnices, quibus in deserto populi extinsit sitim, et famem? Nonne miraculosa omnia in Monte Sina, cum Deus legem dedit Moysi? Et ne

longius rem protrahamus, nonne maxime miraculosus transitus Maris Rubri, cum instar muri aquae steterunt, donec transirent Hebraei, et postea ad suum locum redeuntes, totum cum Duce suffocarunt exercitum Ægyptiorum? Sed miracula, quia actiones contra, vel saltem supra vires totius naturae creatae, nonnisi a solo Deo patrari possunt; et consequenter nullatenus fieri in confirmationem falsae doctrinae, quia absolute repugnat, ut Deus vel directe, vel indirecte falsum confirmet. Ergo doctrina, quae in Pentateucho continetur, a Deo est, et a Moyse vere divinitus inspirato fuit conscripta.

38. *Confirmatur.* Et requidem vera. Nonne communi sententia Moyses fuit Propheta? Quippe et magnus, et princeps Propheta appellatur: et jure procul dubio. Quis enim sicut Moyses, ut innumera sileam, futura vere contingenta, veluti praesentia, aut praeterita, enarravit, cum prope Jordanem suam vicinam mortem praedixit, et omnia, quae Josue deinceps operaretur? Sed praedictio futurorum vere contingentium est a solo Deo, quia ipsi tantum omnia sunt in actu. Ergo Spiritu Dei afflatus omnia Moyses scripsit; et consequenter in Pentateucho etc.

Solvuntur objectiones.

39. Plura ab incredulis objiciuntur. Et quidem primo dicunt. Quae a Moyse in Pentateucho narrantur, a nemine confirmantur. Ergo si fides habenda non est narranti proprias actiones, et maxime si illae sint portentosae, nulla fides quoque habenda est miraculis,

quae in Pentateucho narrantur, et ex quibus Moysen a Deo inspiratum deducitis. Et hoc idem dicendum est de prophetiis.

2. Magi Pharaonis eadem signa fecerunt, ac Moyses. Ergo nisi miracula quoque dicamus illorum signa, vera miracula nullatenus dici possunt illa Moysis.

3. In Pentateucho plures falsae, et perridiculae fabellae continentur, uti praesertim illa Paradisi Terrestris, ex quo suam originem ducebant quatuor flumina, Phison, Geon, Tigris, et Euphrates. Sed quis ignorat, remotissimas inter se, et diversas esse origines istorum fluminum? Deo ne inspirante dicemus istas falsas fabellas fuisse conscriptas?

4. Quis credere poterit, in Arca a Noe condita includi potuisse tot genera animantium? Quod si, ut quisque novit, quaevis Regio suas peculiares habet species animalium, et non omnes in quavis Regione vivere possunt, quomodo Noè ex toto orbe collexit, et quomodo illic omnes vivere potuerunt?

5. Sed quod omnino repugnat, quomodo ab aquis tota terrae superficies ita occupari potuit, ut cooperti fuerint altissimi montes? Unde tanta copia aquarum, ut ad tantam altitudinem totam occupare potuerit superficiem Terrae, et praesertim illam longe majorem, et humiliorem omnium, scilicet marium? Quippe si animum advertamus ad rationem, qua corpora spherica crescunt, videbimus quod illa nova copia aquarum tanta fuit, ut quasi adaequaverit totam massam et terrae, et maris. Unde ergo? et quo postea abierunt aquae illae? Numquid dicent assertores doctrinae revelatae Pentateu-

chi, quod per miraculum a Deo illae aquae creatae fuerunt, et iterum postea in nihilum redactae? Sed meminerint, quod ex Pentateucho ipso, die septimo Deus cessavit ab omni opere, quod patraverat, et nihil aliud de novo creat.

6. *tandem*. Si aquis diluvii deleta fuit omnis caro, quomodo homines remigarunt ad remotissimas insulas, et ad omnes terrae partes? Profecto Recentiores non parva temeritate acti, magnis et fortibus navibus, quae antiquis hominibus ignotae erant, et non sine magno vitae discrimine, petierunt remotissima loca, et dum deserta reperire existimabant, invenerunt incolis hominibus referta. Quomodo id? Ergo dicendum, quod universale non fuit diluvium; quod non in tota superficie Terrae homines deleti fuerunt; et consequenter, quod Pentateuchi Auctor spiritu fabuloso, non Divino, mundi scripsit historiam.

40. ℟. *ad omnia*. Et quidem ad primum quod attinet, dicimus, quod saepius aliorum silentium veritatem confirmat, non vero arguit falsitatem. Et quidem in re nostra, si vera non fuissent omnia, quae in suis libris portentosa enarrat Moyses, quomodo fieri potuit, ut populus, qui saepe murmurabatur, et rebellabat etiam, illum falsitatis non redarguerit, maxime cum illius ingratitudinem Moyses accusabat tot beneficiis a Deo acceptis, et tot portentis, quibus a durissima servitute fuerat liberatus, quae eadem ipsa sunt, quae describuntur in Pentateucho? Ergo Israelitici populi silentium irrefragabile suppeditat argumentum pro veritate historiae Pentateuchi.

41. Ad secundum facile est respondere. Ex quo enim Magi Pharaonis non omnia signa Moysis imitari, et edere potuerunt, clare deducitur discrimen inter imposturam illorum, et veritatem Moysis. Quinimmo et ipsi quidem confessi fuerunt. Cum enim nihil ultra facere potuerunt, ultro dixerunt, quod digitus Dei erat in signis Moysis. Ergo hac confessione se impostores declararunt.

42. Ad tertium dicimus, quod aquis diluvii tota terra disrupta est, et superficies ejus fuit penitus immutata. Unde quae flumina eumdem nunc cursum tenent, quem ab initio mundi tenebant, non eamdem nunc habent originem; et ob eumdem solum cursum, eodem nunc nomine appellantur.

43. Ad quartum respondemus, quod licet id mirum sit, tamen ex dispositione divina fieri potuit, ut aliqua ex omnibus speciebus animantium simul colligi, et convenire potuerint. Caeterum tam breve non fuit tempus, ut congregarentur; nec tam angusta fuit arca, ut capere potuerit. Nec obstat, quod non omnia animantia in quavis Regione vivant; id enim verum non est pro Regione media, et nec quidem pro quacumque alia, si sermo erit de tempore non longiore: et id quidem pro majori tantum commodo vitae, et pro generatione praesertim, et etiam si in desertis vivere debeant.

44. Ad quintum, ex quo Adversarii victoriae palmam quasi collegisse existimant; dicimus, quod etiam secluso quovis miraculo, non adeo difficile est illud naturali modo dissipare. Etenim obsolevit jam opinio, quod aqua sit elementum simplex, et unum ex primis;

ipsa enim revera aliis subtilioribus elementis constat, quae vulgo *gassi* dicuntur. Ecquis ergo vere determinavit ad quantam altitudinem ipsa elementa supra communem aeris regionem se extendunt? Quod si, ut adversarii objiciunt, corpora spherica crescunt in ratione cuborum radiorum, quis non fatebitur miram quantitatem illorum? Quod si tempore diluvii maxima debuit esse terrae concussio vi interioris electricismi, et inde maxima vis ventorum, ex quo maxima deturbatio communis atmospherae, necessario deturbari quoque debuerunt illa subtiliora elementa, ex quibus magna illa copia aquarum fuit efformata, quin de nihilo creaverit Deus. Cessavit interior turbatio terrae, restitutum fuit aequilibrium consuetum in regione aerea, et iterum, vi furentium ventorum, aqua in vapores resoluta priorem recepit naturam simplicium elementorum, quin illam in nihilum redegerit Deus.

45. Ad ultimum dicimus, quod prorsus ignota sunt nobis tempora, mores, et scientiae priorum saeculorum post diluvium: nulla enim ad illa se extendit historia. Et Moyses ipse, vix descripto diluvio, quod ad historiam suam spectare existimabat, nihil ultra enarrat de formatione Nationum, de artibus, de scientiis caeterarum Nationum. Hoc unum tamen deducimus ex antiquis monumentis, quod scientiae et artes modo in una, modo in altera natione floruerunt. Sic ex Asia transierunt in Graeciam, ex Graecia in Italiam, ex Italia in totam Europam etc. Quis ergo negare audebit, fuisse antiquissimis temporibus, imo et floruisse etiam, scientiam nauticam apud illas easdem nationes, quae nunc

sunt rudes, et barbarae; aeque ac modo floret apud nos? Ergo ad remotissima loca transmigrare potuerunt homines. Et quidem non audivimus, Phenicios artis nauticae fuisse maxime peritos? Caeterum, quae loca respectu nostri sunt remotissima, non item sunt respectu aliorum locorum, ex quibus in illa homines se transferre potuerunt. Sic partes septentrionales Asiae, et Americae brevissimo maris tractu, si mare dici potest, a se invicem separantur. Ergo tot saeculorum spatio a diluvio ad tempora usque nostra, per totam terram propagari naturaliter potuerunt homines. Dicendum ergo, quod nullum ex allatis momentis deturbat veritatem historiae Pentateuchi.

CAPUT III.

De Canone Scripturarum.

46. Quoniam plures tam ex veteri, quam ex novo Testamento habentur libri, in quibus Religio Christianorum, quae sola vera, et divina demonstrata, et vindicata est in priori libro, hinc canon, seu catalogus istorum librorum necesse est, ut statuatur. Fuisse apud Judaeos hujusmodi canonem pro libris Veteris Testamenti, videtur, nullimode dubitari posse. Etenim habemus libro primo Machabaeorum cap. III, Israelitas jejuniis maceratos, cilicio indutos, cinere conspersos, et laceratis vestibus expandisse libros Legis etc. Et cap. XIII. legitur, quod Jonathas et omnis populus scripsit ad Spartiatas, solatio sibi fuisse libros Sanctos. Et idipsum con-

stat ex Flavio Iosepho contra Appionem. Sed quoniam non' omnes libri veteris Testamenti, quos Christiana Ecclesia veneratur, in illo Judaeorum Canone reperiuntur, inde divisio enata est Sacrorum Librorum in *Protocanonicos*, qui semper in Canone fuerunt, et propterea nunquam de illis fuit controversia; et *Deuterocanonicos*, qui postea in canonem fuerunt admissi. Canon iste exaratus fuit a concilio Tridentino, eo quod plures Haeretici recentiores libros nonnullos rejiciebant, ex quibus clarius apparebat eorum error, sub praetextu, quod de illorum sacra doctrina olim non constabat. Itaque sacra Synodus in decreto de Scripturis Canonicis Sessione quarta in appendice, canonem apposuit librorum, qui pro divinis habendi sunt ab universis Fidelibus. Et sunt infrascripti. *Testamenti Veteris, quinque Moysis, idest, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Iosue, Iudicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdrae primus, et secundus, qui dicitur Nehemias, Tobias, Judith, Esther, Job, Psalterium Davidicum centum quinquaginta Psalmorum, Parabolae, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Jeremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetae minores, idest Osea, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michaeas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, Malachias, duo Machabaeorum, primus, et secundus. Testamenti novi, quatuor Evangelia, secundum Matthaeum, Marcum, Lucam, et Joannem: Actus Apostolorum a Luca Evangelista conscripti:*

quatuordecim Epistolae Pauli Apostoli, scilicet ad Romanos, duae ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duae ad Thessalonicenses, duaė ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebraeos: Petri Apostoli duae. Joannis Apostoli tres: Jacobi Apostoli una: Judae Apostoli una: et Apocalypsis Joannis Apostoli. Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, et in Veteri Vulgata Latina editione habentur, pro Sacris, et Canonicis non susceperit, et traditiones praedictas sciens, et prudens contempserit, anathema sit.

47. Omnes laudati libri dividi solent in quatuor classes, scilicet in legales, historicos, sapientiales, et propheticos. Ex Veteri Testamento legalis est Pentateuchus, in quo divinae leges continentur; et legales novi Testamenti sunt quatuor Libri Evangeliorum. Historici Testamenti veteris sunt Josue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, duo Esdrae, Tobiae, Judith, Esther, Job, duo Machabaeorum. Novi vero Foederis unus tantum est historicus, scilicet liber Actuum Apostolorum. Sapientiales appellantur illi, in quibus vera exponitur Sapientia, et ex veteri Testamento sunt Proverbia, Ecclesiastes, Cantica, Sapientia, et Ecclesiasticus. E novo autem Testamento sunt una et viginti Epistolae Apostolorum. Tandem dicuntur libri prophetici, in quibus futura praedicuntur, et sunt decem et octo Veteris Testamenti, et Joannis Apocalypsis e Testamento novo.

48. Ad supradictum decretum Tridentini mussitant Haeretici, praesertim recentiores, quoniam vellent nonnullos libros e numero sacrorum, et divinorum expellere propterea quod ex illis maxime deteguntur, et damnantur illorum contra veram fidem Christianam errores. Sed quam male suas conficiant rationes, sequens ostendet

PROPOSITIO V.

Sacra Tridentina Synodus et potuit, et rite constituit Canonem librorum sacrorum, et Divinorum.

49. *Pr. prima pars.* scilicet, quod plenam potestatem habebat Sacra Tridentina Synodus Libros Canonicos et Divinos determinare, et proponere. Jam demonstravimus in priori libro, solam Religionem Christianorum veram esse, et Divinam, et quidem in omni sui parte. Ergo Ecclesia Christianorum, quae credit, quaeque docet, vera, et divina sunt. Sed isthaec Ecclesia, seu unio, maxime habetur in Conciliis oecumenicis. Ergo Tridentina Synodus plenam potestatem habuit etc. Et re quidem vera, si caetus Christianorum errare posset in dignoscendo, et dijudicando libros, in quibus divina Revelatio continetur, necessario inde sequeretur, ut humanos pro Divinis, et contra, libros existimare, et recipere posset. Sed quomodo, hoc in casu, Christianorum doctrina certo vera, et Divina dici posset? Ergo judicium Ecclesiae in hoc negotio absolute infallibile dicendum est. Sed fusius haec ipsa veritas suo loco demonstrabitur. Nec sibi constat, quod objicitur ab ad-

versariis, scilicet, quod in hoc casu circulus haberetur vitiosus, quoniam Ecclesiae auctoritas demonstraretur ex Divina auctoritate Librorum, et Divinitas istorum ab infallibili auctoritate Ecclesiae. Non sibi constat, inquam, primo, quia Christi Ecclesiae infallibilitas non ex libris scripturarum sacrarum nunc a nobis deducitur, sed ex infallibili Revelata Doctrina, quae in sola nostra Christiana Religione reperitur: quae Revelata Doctrina cum nullibi alibi praesertim reperiatur, nisi in Libris biblicis, necessario prorsus notum esse debet in Religione Christiana, quinam sint isti libri; quod idem est, ac dicere, Ecclesiam quae procul dubio repraesentatur in Conciliis Oecumenicis, plenam auctoritatem habere recognoscendi sacros libros. 2. Ut suo loco dicetur, infallibile Ecclesiae judicium in iis, quae ad fidem spectant, non ab iisdem illis libris infertur, quos Haeretici in dubium revocare conantur, sed ab illis, de quorum divinitate ipsi nobiscum conveniunt. Quapropter recte procedit nostra argumentatio.

50. *Pr. secunda pars.* Ast Concilium Tridentinum non absoluta auctoritate, qua ex dictis plene jam gaudebat, canonem proposuit Divinorum Librorum, sed omni consilio, cura, et diligentia usum est in hac re. Et quidem primo secutum est Versionem Italam, quae a tempore usque Magni Augustini communis erat, et caeteris praeferebatur, et ea quidem ratione, quia ex eodem Doctore lib. secundo de Doct. Christ. cap. XI. erat. *Verborum tenacior, cum perspicuitate sermonis.* Secundo consuluit multa Graeca Exemplaria, quae omnes in canone recensitos libros continent, ut videre

est apud Auctorem Vindiciarum Librorum Deuterocanonicorum cap. secundo in supplemento ad historiam Ecclesiasticam Natalis Alexandri tom. I., ubi collecta inveniuntur. Tertio confirmavit canonem Concilii Carthaginensis, quod habitum fuit sub fine saeculi quarti, in quo canone omnes nostri libri continentur et Protocanonici, et Deuterocanonici. Quarto secutum est synodum Romanam habitam sub Gelasio Papa exeunte saeculo quinto, in qua idem omnino canon adprobatus fuit. Tandem suum decretum edidit Concilium Tridentinum, nedum secundum auctoritatem laudati Doctoris Augustini, sed secundum Innocentium primum in epistola ad Exuperium Episcopum Tolosanum, et alios gravissimos, et antiquissimos Ecclesiae Patres. Ergo jure merito omni prudentia, et consilio Concilium Tridentinum Canonem proposuit Librorum Sacrorum, et Divinorum.

Solvuntur objectiones.

51. *Ob. primo.* Judicium ferre de Canonicitate librorum Veteris Testamenti potius ad Synagogam spectabat, quam ad Patres Concilii Tridentini. Sed libri Tobiae, Judith, Sapientiae, Ecclesiastici, et Machabaeorum non inveniuntur in Canone Hebraeorum, qui certo dispositus vel saltem adprobatus fuit a Synagoga. Ergo non legitime in Canone relati sunt a Concilio Tridentino.

℟. *neg. consequentiam.* Quoniam a Deo est Religio Christianorum; et propterea errare non potest in iis, quae ad fidem pertinent, hinc canonem sacrarum

Scripturarum nos repetimus ab Ecclesiae Christianae doctrina, et auctoritate. Sed Synodus Tridentina Ecclesiam universam repraesentavit, et in constituendo canone Scripturarum secuta est Divinam, et Apostolicam Traditionem, quae est vera Revelata Doctrina Christianorum. Ergo rite laudati libri a Sancta Synodo in Canonem recepti fuerunt. Nec inde negamus Synagogae potestatem ferendi judicium de Canonicitate librorum Veteris Testamenti. Quod si quaeras, cur reipsa in canonem non recepit laudatos libros, dicimus, quod ipsi non extabant, cum Esdra edidit Canonem Scripturarum, scilicet post reditum Judaeorum in patriam, et postquam editi fuerunt, in canonem relati non sunt, quia defuit certa successio Prophetarum, ut censuit Flavius Josephus lib. primo contra Appionem. Caeterum ex hoc argumento negativo nihil recte concluditur. Necesse enim fuisset, ut ad canonem additum fuisset decretum, quo non solum excluderentur quicumque alii, sed etiam nominatim excluderentur illi, de quibus est sermo. Quippe non de illis rebus agitur, quarum una exclusa, necessario excluditur quaecumque altera.

52. *C.* Atqui nullatenus Tridentina Synodus judicium ferre poterat de sacra, et divina doctrina librorum, qui sunt in quaestione. Ergo. etc. *Pr. sub.* Ex concessis laudati libri non erant in canone Judaeorum. Ergo ut Synodus Tridentina illos in canonem referret, opus erat vera Traditione Divina Apostolica, vel nova Revelatione. Sed neutrum dici potest. Ergo etc. *Prob. min.* Certe post tempora Apostolorum nulla amplius Revelatio facta est. Sed neque ex Traditione id accipere

poterat Tridentina Synodus, quia ex veteribus Patribus, a quibus Ecclesia recipit Apostolorum Traditionem, non pauci laudatos libros e canone rejiciunt. Ergo etc.

℟. Non negamus, fuisse nonnullos ex Antiquis, qui libros in quaestione pro canonicis non habuerunt. Sed quid inde? Numquid Ecclesia ex consensu omnino perfecto omnium Veterum Patrum Divinam traditam Doctrinam deducere debet? Eccur ergo Papiae doctrinam de Regno mille annorum pro Divina non recepit, quinimmo et damnavit? Nonnulli ergo ex Veteribus, qui contra sentierunt, non obstant, ut Ecclesia infallibilitate donata, uti dictum est, judicium tulerit de Canonicitate Librorum Deuterocanonicorum, secuta doctrinam aliorum, et quidem plurium antiquorum, etsi sequi etiam potuisset numerum minorem, si veritas, quae nunquam illam deserit, ita postulasset.

53. *Instant Adversarii.* Ex Vetustissimis Patribus nullus studiosior in doctrina Sacrorum Librorum, quam Hieronymus; et post illum Sanctus Hilarius. Sed Hieronymus Praefatione in libros Salomonis rejicit libros Judith, Tobiae, Machabaeorum, item et Sapientiae, et Ecclesiastici. Et Hilarius nullam mentionem facit de eisdem in Prologo ad Psalmos. Ergo dicendum, quod veram Traditionem secuta non est Tridentina Synodus in suo decreto de Libris Canonicis.

℟. *conc. ant. et neg. cons.* Iterum dico, quod nihil obstat sententia opposita nonnullorum, et etiam plurium, et quidem doctiorum etiam, ut Ecclesia suum judicium infallibile ferat de vera Divina Doctrina tradita. Consu-

lit ipsa Sententias Veterum. Sed Divina adsistentia, qua pollet, videt tuto ex qua parte sit veritas. Contra, quivis ex Sanctis Patribus spiritu humano judicat, et loquitur, et propterea decipi potest aliquando. Nulli enim ex ipsis adpromisit Deus Spiritum infallibilis veritatis, quo praedita est Ecclesia ex rationibus pluries allatis. Itaque revera Hieronymus dubius fuit de veritate Librorum Deuterocanonicorum. Sed id non mirum, quoniam non pauci idem sentiebant, et nondum Ecclesia suum tulerat judicium. Hieronymo nos opponimus Origenem, qui floruit saeculo tertio, et qui non minori cura elaboravit in sacris Codicibus, et magnum quoque Augustinum, et complures alios, ex quorum auctoritate factum est, ut dubium disparuerit, et communis facta fuerit sententia de veritate Librorum Deuterocanonicorum, unde tandem Ecclesia suum dedit decretum definitivum. Quoad Sanctum Hilarium eamdem damus responsionem, si reipsa contrarium sensisset. Sed ita non est. Ipse enim solum retulit canonem Hebraeorum, non vero suam protulit sententiam. Et quidem ipse saepe usus est Divina auctoritate Librorum Deuterocanonicorum.

54. *Instant Iterum.* Nihil profecto Ecclesia recentior statuere potest contra sententiam, et doctrinam Ecclesiae Vetustioris, maxime si sermo sit de rebus antiquioribus, et de Divina Traditione. Ergo si antiquior Ecclesia in canonem Scripturarum non retulit Libros Deuterocanonicos, profecto quia de illorum revelata doctrina dubitabat, nullimode hoc dubium resolvere poterat, et in canonem illos recipere recentior Ecclesia in Concilio Tridentino.

℟. *Neg. suppositum consequentis.* Itaque Ecclesia Vetus non positive dubitavit ; sed tantummodo judicium suspendit de Canonicitate Librorum in quaestione. Quod si quaeras , cur de ipsis decretum non edidit ? dico , quod edendi causa non erat: primo , quia ferme communis erat sententia de illorum veritate. Secundo quia nondum quis malitiose illorum auctoritatem denegabat. Insurrexerunt in illos fidei perturbatores , et Ecclesia suum suspensum , et dilatum judicium protulit in Concilio Tridentino.

55. *Instant. tandem.* Melchior Canus utique Theologus insignis , et nullimode in fide suspectus , interfuit Concilio Tridentino , et tamen lib. secundo *de Locis* scripsit , se non audere inter Haereticos recensere , qui Libros Deuterocanonicos e canone scripturarum rejiciunt. Ergo dicendum , decretum novum de canone Scripturarum falso appositum fuisse ad sessionem quartam , aut saltem , quod Synodus non illud edidit , veluti obligatorium , ita ut rejici non possit sine periculo fidei.

℟. Melchior Canus interfuit quidem Concilio Tridentino , at mortuus erat cum decretus , et subscriptus fuit a Patribus canon Scripturarum. Et quidem Canus obiit anno millesimo quincentesimo sexagesimo , et Concilium absolutum , et subscriptum fuit anno millesimo quincentesimo sexagesimo secundo. Verum quidem quod canon iste editus fuit sessione quarta anno millesimo quincentesimo quadragesimo sexto sub Pontifice Paulo tertio. Sed tunc non intererat Canus , qui caepit interesse sub successore Julio Tertio. Itaque cum non adhuc confirmatus , et proclamatus esset index , seu Canon Scriptu-

rarum, sed conditus tantum, utique potuit dicere Melchior Canus, quod non audebat Haeresis notam tribuere iis, qui Libros Deuterocanonicos rejiciebant. Quinimo et ita loqui debebat, quoniam quaevis lex non obligat, nisi prius subscripta, et publicata sit a legitimo Superiore.

56. Varia item objiciuntur, et primo. Omnes libri Veteris Testamenti aliquod oraculum referunt de Christo, et Deuterocanonici nullum. Ergo divinitus inspirati dici non possunt. Secundo: Christus, et Apostoli caeteros libros Veteris Testamenti laudaverunt, sed nusquam Deuterocanonicos. Quare? Profecto, quia pro divinis non habuerunt. Tertio: Omnibus Latinis Libris sacris apponitur Prologus Galeatus Hieronymi, praeter Libros Deuterocanonicos. Qua ratione? Quia nunc Ecclesia pro Canonicis non habet. Quarto: Liber Esther nullatenus Divinus dici potest. Ergo saltem istum inter canonicos Tridentina Synodus numerare non poterat. Et quidem ex Veteribus Scriptoribus constat, illius septem posteriora capita non fuisse in Textu Hebraico. Et merito quidem, nam ista capita non respondent superioribus. Etenim cap. secundo enarrantur insidiae Eunuchorum factae Regi Assuero anno septimo illius Imperii: Et cap. sexto dicitur, quod nihil mercedis recepit inde Mardochaeus qui illas patefecerat; et in posterioribus insidiae paratae dicuntur anno secundo, et praemium tributum Mardochaeo. Ergo recentior scriptor ista capita addidit manifesta mendacia interserens. Quomodo igitur divinus iste liber?

57. ℟ ad singula. Ex Apostolo epist. secunda ad

Timotheum cap. tertio. *Omnis scriptura Divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia.* Ergo necesse non est, ut quivis scripturae liber aliquod de Christo oraculum contineat. Et quidem nullimode istiusmodi oraculum habetur in Libro Ruth, et tamen nullum dubium de illius canonicitate.

58. Ad secundum dicimus, quod nec Christus, nec Apostoli testimonium similiter protulerunt de Libro Ruth, nec de Libris Regum, nec de Cantico Canticorum, nec de nonnullis aliis. Ergo sicut isti nihilominus Divini sunt, ita nihil obstat, ut etiam Deuterocanonici sint Divini: quinimmo de his aliqua ratio silentii esse potuit: quod scilicet in canone non erant Judaeorum, et propterea rejici poterant ab induratis, et obcaecatis Hebraeis.

59. Ad tertium respondemus, quod prologus Galeatus libris scripturarum non apponitur ex auctoritate Ecclesiae: nusquam enim ipsa hoc praecepit, sed additur ex arbitrio Typographorum. Quod si Ecclesia tolerat, causa est, quia nullum periculum timeri potest, quoniam notus cuique est canon exaratus ab universa Ecclesia, quae infallibili gaudet auctoritate.

60. Ad ultimum dicimus, quod objecta septem posteriora capita Libri Estheris revera non pertinent ad finem Libri. Et quidem undecimum, et duodecimum pertinent ad initium, tertium decimum, quartum decimum, quintum decimum, et sextum decimum ad medium, et ad finem spectat decimum. Hoc pacto disposita leguntur in codicibus graecis, et sic disponenda esse

monuit Hieronymus. Sed Ecclesia ad finem Libri poni censuit eadem de causa, qua posuit Hieronymus, ut scilicet quisque sciat, illa non reperiri in Codice Hebraeorum. Ex his patet responsio ad tempus, in quo insidiae factae fuerunt Assuero, et ad mercedem Mardochaei, qui illas retulit ad Regem. Etenim quod cap. duodecimo narratur, pertinet ad initium Libri, et per anticipationem narratur cap. duodecimo, quod item ad initium libri pertinet, nempe Mardochaeum accepisse mercedem. Quid si dicamus, Mardochaeum prius accepisse quidem mercedem aliquam parvam, et postea donatum fuisse muneribus merito suo dignis? Porro falsum est ex cap. undecimo insidias factas fuisse Regi Assuero anno secundo sui regni, ibi enim sermo est de insidiis, et somnio Mardochaei, ergo annus secundus referri potest ad somnium Mardochaei, non vero ad tempus insidiarum.

61. *ob. secundo quoad libros Novi Foederis.* Epistola ad Hebraeos falso adscribitur Apostolo Paulo. Sed non potest Ecclesia asserere falsum. Ergo non poterat Tridentina Synodus illam in suo Canone Paulo tribuere. *prob. maj.* Omnes Pauli Epistolae ejus nomen praeseferunt: sed in Epistola ad Hebraeos non habetur hoc nomen. Ergo etc.

℟. *neg. cons.* Non ex praefixo nomine Libri auctor certo dignoscitur, alioquin genuini habendi essent quotquot ab impostoribus effinguntur. Sed genuini agnoscuntur a legitima, et constanti traditione. Et re quidem vera numquid genuina dicemus Evangelia Thomae, Bartolomaei, Jacobi, et aliorum, quae inter apocriphos

libros communiter adscribuntur, etsi illorum nomina praeseferant? Nullum sane tutius medium pro impostura, quam istud. Ideo cum adeo constans fuerit traditio pro genuitate Epistolae Divi Pauli ad Hebraeos, ut praeter ferme omnium vetustissimorum, et gravissimorum Patrum auctoritatem, praesertim Clementis primi ad Corinthios, Clementis Alexandrini, Origenis, Hilarii, Hieronymi, et Augustini, communis facta sit sententia Ecclesiae universae, quae in die Natalis Domini hanc exhibet legendam epistolam sub nomine Divi Pauli, rectissime fas est concludere, nullimode dubitari posse de illius genuitate, et quod propterea rite Tridentina Synodus in canone retulit.

62. *Contra.* Atqui Epistola ad Hebraeos nullatenus Paulo tribui potest. Ergo etc. *pr. subs.* Praecipuus character, quo utimur ad agnoscendum librum apogryphum, est diversitas styli a stylo Auctoris, cui tribuitur; sed stylus, quo Epistola ad Hebraeos scripta est omnino diversus est a stylo Epistolarum Divi Pauli. Ergo etc.

℟. *neg. cons.* Epistola ad Hebraeos hebraice scripta est, caeterae autem graece: Cum autem Hebraeus, et non Graecus fuerit Paulus non mirum, si multo elegantiore modo hanc scripserit Epistolam hebraico idiomate, in quo erat peritissimus. Ita Hieronymus. Quod si etiam concedatur, illam graece scriptam fuisse, quod quidem probabile non est, tum dicimus, quod styli diversitas oriri potuit ex altiori argumento, quod pertractatur, et ex majori cura, quoniam ad doctiores, et eruditiores Hebraeos hanc epistolam dabat.

63. *Contra.* Atqui laudata Epistola nullimode tribui potest Divo Paulo. Ergo etc. *pr. subs.* In laudata Epistola manifesta leguntur mendacia. Ergo ni mendacem facere velimus Paulum, nullimode ipsi tribuenda est Epistola *pr. ant.* Cap. 9 huius Epistolae legitur, quod in arca Moysis fuit urna continens manna, virga Aaron quae fronduerat, et tabulae legis. Sed ex libro tertio Regum cap. octavo constat, in Arca nihil aliud fuisse, praeter tabulas Legis. Ergo etc.

℟. Duplici modo huic difficultati respondent Theologi. Etenim quidam dicunt, textum depromptum ex libro tertio Regum intelligi debere de tempore, cum nihil aliud erat in Arca, praeter Tabulas Testamenti in illa a Moyse repositas; et mannam, ac virgam positam esse tempore posteriori. Sed communius alii dicunt, tabulas lapideas fuisse vere in Arca, sed urnam, manna et virgam collocata fuisse ad ejusdem Arcae latera, et id licet ex Scriptura non constet, notum fuisse Paulo ex traditione Majorum.

64. Unus, vel alter scrupulus remanet dissipandus. Et quidem primo dicunt adversarii. Procul dubio, qui minori pollet auctoritate, judicium ferre non potest super illum, qui pollet majori. Sed sacra Scriptura majori pollet auctoritate, quam Ecclesia. Ergo Concilium Tridentinum canonem edere non poterat de canonicitate illorum librorum, de quorum Revelata Doctrina dubitabatur. Secundo. Per Theologos Romanenses Libri Deuterocanonici antequam a Tridentina Synodo in canonem reciperentur, Divina non gaudebant auctoritate, et ita quidem, ut sine nota haeresis poterant rejici. At non

item modo, postquam in canone relati sunt. Ergo concedatur opus est, quod laudati Libri a Tridentina synodo acceperunt, quam non habebant, divinam auctoritatem. Sed erroneum id est: Etenim Ecclesia a Divinis Scripturis, non vero Scripturae ab Ecclesia, auctoritatem accipiunt. Ergo dicendum, quod nullam facultatem habebat synodus etc.

65. ℟. Et quidem ad primum dicimus, quod Tridentinum Concilium non veluti superior, judicium auctoritatis tulit, cum divinos declaravit Libros Deuterocanonicos, sed tantum discretionis, quod nullam in ipso superiorem auctoritatem arguit, sed tantummodo facultatem, et ut melius dicamus, cognitionem, infallibilem qua veros Divinos Libros ab humanis, secernere potuit. Et quidem: Si noti veraces testes contestentur populo, qui suum Regem numquam novit, neque scit quaenam sint illius leges, illum esse Regem, istas esse leges, numquid auctoritatem Regi conferunt, et legibus ejusdem? Videant adversarii, qua manifesta fallacia suum peccat argumentum.

66. Similis quasi est responsio ad alterum. Quippe Tridentina Synodus non dedit Libris Deuterocanonicis Divinam auctoritatem, quasi prius non habuissent; sed tantummodo declaravit illam, quam habebant in seipsis. Et superius allatum exemplum valet etiam hic ad explicandum, quomodo prius, et non modo, rejici poterant sine periculo heraesis. Etenim si culpa caret, qui nesciens Regem, et leges illius, Regem non veneratur, nec leges servat, utique talis non erit postquam in cognitionem venerit et illius, et istarum.

CAPUT IV.

De Sacrarum Scripturarum integritate.

67. Ut quae in hoc capite pertractanda aggredimur, clarius intelligantur, prius videndum, qui sint originarii textus utriusque Testamenti: Sive quo idiomate Sacri Libri sint primitus exarati, ut sic originarii textus non confundantur cum versionibus. Itaque communis Theologorum sententia est, quod Veteris Testamenti Libri protocanonici hebraice conscripti fuerunt, licet ipsi, ut item convenit quasi inter omnes, Chaldaicis characteribus ab Esdra post captivitatem Babylonicam fuerint expressi, quoniam priores characteres, quibus nunc habetur textus Samaritanus, jam absolverant. Ex Deuterocanonicis autem Tobias, et Judith, cum aliquibus partibus Danielis, et Esdrae, chaldaice dati fuerunt. Primus Machabaeorum, et Ecclesiasticus hebraice, etsi nunc non reperiatur iste textus, sed tantum Versio Graeca, et Sapientia, cum secundo Machabaeorum graece. Novi autem Testamenti Libri graece scripti fuerunt, excepto Evangelio secundum Matthaeum et etiam juxta non paucos, Epistola ad Hebraeos, qui duo Libri hebraice, seu potius syriace, dati fuerunt.

68. Hisce praemissis, quaerimus, num Veteris Testamenti Textus omnino perierit in profanatione Templi sub Antiocho, aut in captivitate Babylonica, ita ut ex integro restituti fuerint ab Esdra, uti Scriptore Canonico: et num idem Textus essentialiter corruptus, et

falsatus fuerit ab Hebraeis in odium Christianae Religionis, ne a nobis ex suis iisdem Scripturis premerentur ad obcaecatam duritiam confitendam. Melchior Canus lib. secundo cap. tertiodecimo, et nonnulli alii contendunt, quod in pluribus laudatus Textus malitiose corruptus sit ab Hebraeis. Quaenam sit nostra sententia coram aperiemus.

PROPOSITIO VI.

Sacri Veteris Testamenti Libri neque in Captivitate Babylonica, neque in Antiochi profanatione perierunt.

69. *Prob.* Sacerdotes, Levithae, Prophetae, et quasi Hebraei omnes quisque apud se Sacros Libros habebant, idque propter singulare studium, quod illi habebant. Ergo, etsi concedatur plura exemplaria periisse in captivitate, et omnia, quae in Templo servabantur igni fuisse tradita, multa nihilominus remansisse, negari nullatenus potest. Ergo non perierunt. Et id evidenter constat ex facto. Etenim Daniel ex Jeremia didicit proximam liberationem. Ergo in Captivitate Libri non perierunt. Nec perierunt in profanatione. Siquidem ex Lib. primo Machabaeorum constat, quod post superatum Antiochi exercitum, Libri Legis, nempe Sacri Codices, expansi fuerunt, et inde populus preces ad Deum fudit. Item ex eodem Lib. cap. duodecimo habemus, Jonatham, et universum populum, scripsisse ad Spartiatas, sibi eo tempore, scilicet sub Antiochi

persecutione, solatio fuisse Sacros Libros. Tandem Esdrae lib. secundo, cap. octavo legitur. *Dixerunt Esdrae Scribae, ut afferret Librum Legis Moysis, quam praeceperat Dominus Israeli.* Ergo Sacri Codices Veteris Testamenti non perierunt etc.

Solvuntur objectiones.

70. *Dices.* Libro quarto Esdrae cap. XIV legitur, quod Esdras Divino Spiritu afflatus quadraginta diebus universam Scripturam quinque viris dictaverit. Ergo dicendum, quod jam perierat, et propterea ex integro remisit.

℟. Liber iste Esdrae apocryphus est, et ideo nullius auctoritatis, et eo vel magis, quod non ista tantum fabella in illo enarratur, sed plures aliae.

71. *C.* Atqui revera Esdras universam Scripturam de novo Scribis dictavit. Ergo etc. *pr. min. subs.* In Libro secundo ejusdem Esdrae, qui utique Canonicus est, cap. VIII legitur: *Dixerunt Esdrae Scribae, ut afferret librum legis Moysi, quam praecéperat Dominus Israeli.* Sed id intelligi debet de reparatione, seu compositione ex integro. Ergo etc. *prob. min.* Scribae procul dubio inferiores erant, et veluti subditi Esdrae. Ergo praecipere non poterant Esdrae materiale opus, ut scilicet existentem librum acciperet, et afferret. Ergo dicendum, quod verba *ut afferret* intelligenda sunt de reparatione ex integro, vi divinae inspirationis, qua pollebat.

℟. *neg. cons.* Dura nimis est interpretatio, et ex-

positio laudati Textus, quam adversarii afferunt. Potius enim dicere debuissent scribae, ut componeret, non ut afferret Esdras Librum Legis. Nec verba illa *ut afferret* indicant imperium, sed rogationem potius, et quidem inferiorum ad superiorem. Etenim quia Esdras erat Sacerdos, et item quia Spiritu Dei erat afflatus, ideo scribae rogarunt, ut exhiberet, seu proderet, legeret, et interpretaretur Libros Sacros, sicut revera attulit eadem prima die mensis septimi, et legit. Numquid paucis horis ex integro composuit totam scripturam? Damus quidem cum Hieronymo in Monumentis Hebraeorum peritissimo, quod Esdras novas invexit literas hebraicas, antiquas relinquens Samaritanis, eo quod Hebraei illarum ferme obliti erant propter longam commorationem inter Chaldaeos. Quin et damus quoque, aliqua nomina ab illo fuisse commutata, et nonnullos forsan quoque leves Amanuentium errores emendatos: Sed cum eodem Hieronymo falsum omnino dicimus, de novo Libros Sacros ab Esdra fuisse conflatos.

72. *C*. Atqui verba illa *ut afferret Librum Legis* intelligenda sunt de reparatione ex integro librorum, qui perierant. Ergo etc. *prob. subs.* Cum populus Hebraeorum ab internicione reliquus captivus ductus est Babylonem cum impio Sedecia a Rege Chaldaeorum (Paralipom. cap. trigesimo sexto) Templum cum omnibus Libris Sacris incensum fuit. Ergo verba illa etc.

℟. Non unum extabat apud Hebraeos Scripturarum exemplar. Ergo ex quo incensum fuit illud, quod asservabatur in Templo, falso deducitur, quod ex integro Esdras Sacros Libros reparavit. Et quidem nonne

in Captivitate Babylonica Daniel ex lectione Jeremiae cognovit proximam liberationem Israelis? Nonne.... Sed quid plura? Sit

PROPOSITIO VII.

Falsum prorsus est, quod Hebraei in odium Christianae Religionis Textum Veteris Testamenti interpolaverint.

73 *Pr.* pluribus, et validissimis rationibus. Sane ante Christi adventum Hebraei Textum non interpolarunt. Nulla enim tunc erat ratio interpolandi, et maxime cum incredibile fuerit illorum studium, et veneratio erga Libros Sacros. Nec id fecerunt tempore, quo Christus novam gratiae legem praedicabat, quoniam non solum ipse, et deinceps Apostoli, de tanto scelere non redarguit Hebraeos, quin etiam ad Scripturarum lectionem illos urgebat *Scrutamini Scripturas:* Joannis cap. V. ℣. trigesimonono. Sed nec corruperunt post Christi mortem. Et quidem primo. Eamdem semper Hebraei habuerunt, et habent modo, erga suas scripturas venerationem, et nullum ipsis tam nefandum sacrilegium, et scelus, quam vel minime illas laedere. Secundo. Plures omni tempore Judaei ad veritatem Christianae Religionis venerunt, et nullus omnino illorum hanc fassus est impietatem. Tertio. Ut aliquem locum haec Judaeorum malitia habere potuisset, omnes simul per totum orbem dispersi in unum perfecte convenire debuerunt et quoad factum, et quoad modum, id quod in-

credibile prorsus est. Quarto. Christiani ab initio, et quidem ante Christi mortem, Textum Hebraicum procul dubio apud se habuerunt, et habent. Sed quoad substantiam mire Textus noster convenit cum illo Hebraeorum. Ergo etc. Quinto. Si Judaei Textum falsassent, praesertim id fecissent in illis locis, quibus magis a Christianis urgentur. Sed hoc est falsum, quia saepe magis nobis favet Textus Hebraicus, quam Latina aut Graeca Versio. Tandem Philo apud Eusebium Caesariensem lib. octavo Praeparationis Evangelicae, et Flavius Josephus lib. primo contra Appionem testantur, tot saeculis lapsis ne unum quidem jota ex Sacris Literis fuisse detractum. Concludendum igitur etc.

Solvuntur objectiones.

74. *Ob.* Hieronymus in lingua Hebraica doctissimus non semel conquestus est, Judaeos non pauca ex sacro Textu abstulisse, et multa alia depravasse in odium nostrae Christianae Religionis. Ergo etc.

℞. Hieronymus non loquitur de Textu Hebraico primicerio, sed tantum de Versionibus. Conqueritur enim de Aquila, de Symmaco, de Theodotione, qui ad tantam impietatem pervenerunt, ut Textum Hebraicum vertentes multa falsa apposuerint in odium Christianorum, et contra Versionem Septuaginta Interpetrum. Unde ad Augustinum scribens ait, se hac de causa Textum Hebraicum, vertere voluisse, ut, quae ab illis omissa, vel depravata fuerant, remitteret. Et ipsa constans Hieronymi sententia patet tam in suis commen-

tariis in Isaiam, quam in Libro de Viris illustribus, ubi eos deridet, qui asserebant, Sacros Codices fuisse ab Hebraeis depravatos. Audiatur ipse in commentariis ad Zachariam. *Cogimur*, (inquit), *ad Hebraeos recurrere: et scientiae veritatem de fonte magis, quam de rivulis, quaerere. Si displicet fontis unda purissimi, exosos rivulos bibant, et diligentiam, qua avium silvas, et concarum gurgites norunt, in scripturis legendis objiciant.* Quid clarius?

75. Atqui reipsa Hebraei in odium Christianorum Textum Hebraicum falsarunt. Ergo etc. *pr. subs.* In nostra vulgata, sicut in Versione Septuaginta Interpretrum, in Libro Genesis cap. VIII. et septimo legitur, quod corvus egrediebatur, et non revertebatur in Arcam: et tamen Melchior Canus, utique Theologus insignis, ex Textu Hebraico legit, quod Corvus egrediebatur, et revertebatur. Ergo revera falsatus est Textus Hebraicus. Qua de causa? Profecto ex odio in Christianam Religionem.

℟. Miramur certo, qui fieri potuerit, ut ex tam levi momento Canus, alioquin doctissimus, suspicari, et asserere potuerit, Hebraicum Textum fuisse corruptum. Ecquid tam levis mutatio suffragari potuisset Hebraeis pro sua causa contra Messiae adventum? Potius ergo impias manus admovissent ad Scripturas prophetarum, quibus a Christianis fortiter urgentur. Caeterum dicimus cum Bellarmino, quod verba Hebraica significant exeundo, et redeundo. Unde bene stat veritas pro Textu Hebraico, et nostra Vulgata, cum Versione Septuaginta Interpetrum, quod scilicet Corvus

egressus est ab Arca, et nunquam rursus deinceps in Arcam reversus est, sed solummodo reversus circum Arcam forinsecus volitabat.

76. *C.* Atqui etiam in iis, quae ad Christianae Religionis substantiam pertinent, falsatus invenitur Textus Hebraicus. Ergo etc. *prob. subs.* In Textu Hebraico non habetur Cainan inter Arphaxad, et Sale, sicut legitur in Evangelio Lucae cap. tertio ℣. 36. Sed hujusmodi defectus est essentialis quoniam pertinet ad Genealogiam Christi, cui uni tota innititur Christianorum Religio. Ergo etc.

℟. *neg. min.* Nimis certe leves se ostendunt adversarii, dum, ex quo in Textu Hebraico deest nomen *Cainan* in Genealogia, et legitur in Evangelio Lucae, confidenter inde deducunt, Textum illum in essentialibus fuisse falsatum. Quid nostra interest omissio isthaec, quidque prodest Hebraeis pro tuenda sua causa? Numquid ex exclusione Cainanis demonstrare conantur Hebraei, non adhuc advenisse Messiam in lege promissum? Quaecumque igitur fuerit causa hujusmodi variatae lectionis, nullum praestat motivum suspicandi, Textum fuisse malitiose falsatum ab Hebraeis. Sed tamen ne sub silentio omittamus rem, quae non parum defatigavit Criticos interpretres, dicimus, triplicem esse sententiam de Cainane, qui in Evangelio Lucae, non vero in Textu Hebraico legitur. Nonnulli putant, Cainanem esse eumdem, ac Sale, idest, unum, et eumdem hominem vocatum fuisse Sale, et Cainanem. Sed nimis violenta videtur hujusmodi interpretratio, quoniam ex Textu clare patet, quod verba *qui fuit* indicant

veram generationem. Alii, et quidem plures, inter quos Natalis Alexander, opinantur, nomen Cainanis ex incuria Amanuensium intrusum fuisse in Evangelio Lucae: idque probant ex quo illud deest cap. I. et II. Geneseos., nec non Paralipomenon cap. primo, et item illud silet Philo, Josephus, et variae quoque Versiones, Chaldaica, Persica, Arabica, et etiam Samaritanus Textus.

Quinimmo et Versio Septuaginta si illud affert in Genesi, omittit tamen Paralipomenon lib. primo: unde dicunt, ex quo negligenter intrusum fuit in hac Versione in Genesi, item intrusum fuit in Evangelio, quin tamen id deroget auctoritati Vulgatae, quoniam nihil pertinet nec ad fidem, nec ad mores. Tandem Gravesonius in Historia Veteris Testamenti, Laurentius Berti Tom. 3. §. 26. cap. 4. ad Moysen, putant, Cainanem revera nominandum esse inter Sale, ex Arphaxad, ut legitur in Evangelio Lucae, sed propterea omitti in Textu Hebraico, ut scilicet generationis series in certas decades distribuatur. Nullam ex his sententiis nos amplectimur, nec item reprobamus, sed tantummodo dicimus, quod nullum inde sumi potest argumentum ad suspicandum falsatum Textum primicerium ab Hebraeis in odium Christianae Religionis.

PROPOSITIO VIII.

Etsi tuemur, Textum Hebraicum non fuisse Falsatum, non negamus tamen nonnulla menda in illum irrepsisse, sicut in Textu Novi Testamenti, quae tamen ad fidem non pertinent.

77. *prob.* Naturaliter loquendo nullatenus fieri potest, ut tam Novi, quam Veteris Testamenti Libri, qui per tot manus Amanuensium, et Librariorum transierunt, effugere potuerint quamcumque verborum mutationem, adjunctionem, aut detractionem. Sed in iis, quae nec ad Fidem, nec ad mores spectant, superfluum, et inutile est confugere ad peculiarem Dei adsistentiam, et prope, dicam, verum miraculum. Ergo etc. Et re quidem vera, nonne in die videmus, quavis adhibita diligentia, semper irrepere leves variationes in novis Scripturarum Divinarum editionibus? Quanto magis itaque hoc accidere potuit, primo cum sermo est de manuscriptis: secundo quoad Vetus Testamentum, ex similitudine quarumdam literarum apud Hebraeos, et ex punctis pro literis vocalibus adhibitis, quae Rabini invexerunt: Tertio quoad Novum Testamentum, ex facilitate confundendi graecas literas, et notas compendiarias. Sed et revera in Graeco Textu hodierno nonnulla sunt, quae Veteres Graeci Patres diverse legerunt in Veteri, nempe Origenes, Chrysostomus, et Theophilactus, ut ostendit Hieronymus in Epistola ad Marcellum. Sed levia sunt ista menda, vel nec mini-

mum pertinent ad fidem, et mores, alioquin jam emendata fuissent ab infallibili Ecclesiae judicio; et quod etiam fieri non posse dicimus, quoniam, ut demonstravimus in primo libro, deficere non potest Doctrina, et Religio Revelata, quae in omnibus suis partibus vera esse debet.

78. Pro utili usu eorum, quae in hoc capite pertractata sunt, dicimus, quod possumus, imo debemus, confugere ad Textum originalem, primo quando Librariorum errores detegimus in nostra Vulgata: secundo in varietate lectionis praeferenda est illa, quae magis convenit cum Textu originali: Tertio confugiendum nobis est ad Textum originalem, cum in Verborum dubium incurrimus. Tandem ex originali pariter Textu repetenda est vis Verborum.

CAPUT V.

De Sacrarum Scripturarum Versione.

79. Variae sunt Scripturarum versiones; sed praecipuae sunt Graeca, Syriaca, Arabica, Chaldaica, et Latina. Graeca autem multiplex est, sed inter omnes celebratissima est illa, quae Ptolomaei Philadelphi Ægyptiorum Regis rogatu, septuaginta Seniores Hebraei Alexandriam missi ab Eleazaro summo Pontifice Judaeorum in Insula Pharos dedere, spatio, ut creditur, septuaginta duorum dierum. Hi non tantum Pentateuchum verterunt ex Hebraeo in Graecum, ut putant nonnulli, sed totam Hebraeorum Scripturam. Nullo autem modo

verosimile est, singulos illorum in singulis cellulis fuisse inclusos, et unumquemque dedisse suam versionem omnino caeteris conformem, ex quo Justinus, et Irenaeus qui hanc tenent sententiam, deducunt, illos divino Spiritu fuisse afflatos. Sed nos cum Hieronymo, praefatione in Pentateuchum, probabilius dicimus, quod in unam Basilicam conveniebant, et sententias inter se conferebant. Secunda Graeca Versio facta fuit ab Aquila Judaeo tempore Adriani Imperatoris. Tertia est Symmachi Samaritani, qui haeresi Ebionitarum erat addictus sub Commodo Imperatore. Quarta est Theodotionis sub Antonino Caracallo, quae quasi tota disparuit. Quinta est Hiericontina, quia reperta fuit in urbe Hierico. Et sexta Nicopolitana, quia Nicopoli comperta fuit. Sed utriusque ignoratur Auctor. Item habemus Versionem Luciani Presbyteri, et Martyris, Origenis, et Hesychii, sed istae dici potius debent emendationes Versionis Septuaginta Interpretrum.

80. Versio Syriaca, et Arabica erant apud Syros, et Arabos; et Chaldaica exarata a tribus Rabinis saeculo quinto potius erat Paraphrasis, quam Versio.

81. Latinae tandem Versiones pariter multae fuerunt, sed ex his duae magnam consecutae fuerunt in nostra Ecclesia auctoritatem, et venerationem, una scilicet antiquior, cujus ignoratur auctor, quam dicebant Italam, communem, et Vulgatam; et altera, quam exaravit Divus Hieronymus. Sed cum temporibus Augustini magna orta esset contentio, quaenam ex duabus alteri esset praeferenda, non longe post, tempore Sancti Gregorii, ex utraque confecta est una, quae Vulgata

communiter dicitur, quaeque modo in Catholica Ecclesia legitur, et de qua tandem Tridentina Synodus sessione quarta, sub anathematis poena decrevit, ut pro authentica habeatur, et nemo illam, quovis praetextu, rejicere audeat. Sunt et aliae Vernaculae Versiones, quae videlicet propria lingua cujusque Nationis scriptae sunt. Sed vetuit Ecclesia, ut Vernaculae istae ab omnibus indiscriminatim legantur, et ut vera fides illis habeatur.

Hisce praemissis, aliquid dicamus oportet de auctoritate praecipuarum Versionum. Et ut ab antiquiore exordiamur, sit

PROPOSITIO IX.

Versio Septuaginta Interpretrum fuit olim, et modo etiam dici potest, authentica.

82. *Prob. prima pars.* Illa Versio authentica dici debet, qua usi fuerunt Apostoli, procul dubio Ministri verae Revelatae Doctrinae, et post illos universa Ecclesia Graeca, quae ut vera Christi Ecclesia, prout certo erat, in fide deficere non potest. Sed Apostoli, et post illos, nedum cuncti Patres, sed et universa Graeca Ecclesia cum tota Catholica erat, per quinque priora saecula usa fuit Versione Septuaginta Interpretrum, et quidem non solum in docendis fidelibus, sed etiam in damnandis Haereticis, praesertim in Conciliis. Ergo etc. His suffragatur Augustinus lib. secundo de Doctrina Christiana scribens. *Septuaginta Interpretrum, quod ad Vetus Testamentum attinet, excellit auctoritas.*

83. *Prob. secunda Pars.* Ut modo, quae olim

Versio authentica fuit, non amplius talis dicatur, constet necesse est, illam essentialiter fuisse deinceps falsatam. Sed id dici nequit de Versione Septuaginta Interpretrum. Et quidem, si ipsa per quinque saecula authentica fuit, ita ut regula Fidei fuerit in universa Ecclesia Graeca, utique tunc Catholica, quot millia exemplaria edita non fuisse dicemus? Numquid ergo fieri potuit, ut omnia falsata fuerint? Quod si ita, quomodo Orthodoxi Graeci errores, et defectus non observaverunt, et emendarunt? Quomodo nunc etiam pars Catholica Ecclesiae Graecae eadem illa utitur? Et quare Latini nec objecerunt, nec objiciunt Graecis, quod authenticas Scripturas non habent? Quinimo quomodo Sixtus Quintus Versionem istam Romae editam anno 1582 sua auctoritate probavit, et vetuit, ne quis auderet illam immutare? Concludendum igitur etc.

Solvuntur objectiones.

84. *Ob.* Contra primam partem. Hieronymus saepe conquestus est, quaedam Hebraici Textus non reperiri in Versione Septuaginta Interpretrum, uti praesertim illud: *Ex Ægypto vocavi Filium meum*, quaedam contra fuisse addita; alia immutata; et item sensum fuisse extenuatum, et aliqua subversa fuisse testimonia contra Judaeos. Ergo nunquam authentica fuit Versio Septuaginta Interpretrum.

℟. Non negamus cum Hieronymo, nonnulla fuisse in Versione Septuaginta aut addita, aut omissa; aut immutata quam sunt in Textu Hebraico. At ipsa leviora sunt, nec ad Fidem pertinent, ut sunt verba in objectione allata. *Ex Ægypto vocavi Filium meum.* Et

quidem si essentialia fuissent nec Apostoli, nec Patres, nec Ecclesia Graeca tota olim Catholica illa usa fuisset. Quinimo si ita esset, authentica Scriptura, et consequenter Doctrina Revelata, quinque prioribus saeculis tota Ecclesia Graeca, et modo illius pars Catholica caruisset, quod absurdum esse jam probavimus, nec procul dubio concedet Melchior Canus.

85. *Ob.* Versio Septuaginta videtur inter fabellas prorsus demandanda. Et quidem primo. Ipsa facta dicitur a Septuaginta duobus viris electis sex ex singulis Tribubus Hebraeorum. Sed tempore, quo asseritur facta, duae tantum Tribus extabant, Judae scilicet, et Beniamin. Ergo fabulosa est. Secundo. Reipsa veluti fabulosa a Judaeis existimata fuit. Etenim si Judaei Alexandrini illam in honorem habuerunt, Jerosolimitani contra fuerunt execrati. Ergo etc.

86. ℟. Et quidem ad primum dicimus, quod cum decem Israelis Tribus captivae ductae fuerunt in Mediam, extinctum quidem fuit Israelis Regnum; sed plurimi tamen ex quavis Tribu confugerunt ad confratres in Tribu Judae, in qua incorporati permanserunt, uti praesertim ex Esdra colligitur. Ergo Eleazarus deligere optime poterat Septuaginta duos Seniores ex singulis Tribubus.

87. *Ad secundum* ℟. totam Judaeorum Gentem summopere gloriatam fuisse de Versione Septuaginta Interpretrum evidenter ostendunt publicae gratiarum actiones, quae quotannis, ut scripserunt Josephus, et Philo, fiebant in Insula Pharo in memoriam hujusmodi Versionis. Sed postea cum viderent obcaecati Hebraei,

se fortiter perstringi auctoritate ejusdem Versionis, tunc caeperunt execrare, et dissidium factum est inter Judaeos Alexandrinos, et Jerosolimitanos.

88. *Ob. iterum.* Historia Versionis septuaginta non aliunde suam habet originem, quam a Libello Aristaeae qui dicit, se fuisse praesentem. Sed a Criticis Liber iste adscribitur inter otiosas fabellas. Ergo etc.

℟. Non ab Aristaea solum habemus historiam Versionis Septuaginta, sed a Josepho Hebraeo summae auctoritatis historico in rebus Judaicis, et etiam a constanti, et universali traditione. Caeterum, licet concedatur, istam Versionem fabulosam esse quoad accidentales circumstantias facti, reipsa tamen vera, et authentica fuit, et modo dici debet, quoniam illa usus fuit Christus, Apostoli, Patres, et universa olim Ecclesia Graeca, et utitur nunc pars Catholica.

89. *Dices contra secundam partem.* Saltem modo Versio septuaginta essentialiter vitiata est. Etenim Sanctus Hieronymus in Librum Paralipomenon hanc ob causam dicit, se ex Textu Hebraeo suam dedisse Latinam Versionem. Et Justinus in Dialogo cum Triphone, aliique saepe Patres queruntur, Versionem istam fuisse corruptam. Si id tempore Hieronymi, magis nunc authentica dici nequit.

℟. Hieronymus, Justinus, et quotquot alii, queruntur de vitiis levioribus, et quae ad Fidem nullatenus pertinent, non vero essentialibus. Etenim secus universa Ecclesia Graeca usque ad Hieronymum usa fuisset Scriptura corrupta, quod dici nequit; et quod utique et vidisset, et dixisset Hieronymus.

PROPOSITIO X.

Excepta Versione Septuaginta Interpretrum, ex omnibus caeteris, sola Vulgata est authentica, et Fidei nostrae regula.

90. *Prob.* Illa Sacrorum Librorum Versio dicenda est authentica, et cum suo Textu originali conformis, quam talem declarat Ecclesiae universalis auctoritas: Quippe in hoc negotio absolute infallibile esse debet Ecclesiae judicium. Etenim tota Doctrina Revelata, si pauca excipias, quae habemus per Divinam Apostolicam Traditionem, uti suo loco dicemus, in Libris Biblicis continetur. Ergo si decipi potest Ecclesia Christi universalis, apud quam solam vera Revelata Doctrina, et Religio reperitur, ut in priori libro demonstratum est, existeret simul, et non existeret vera Revelata Doctrina, et Religio. Existeret quidem, ut pro certo ponitur; non existeret autem, quia nesciens veram Doctrinam Revelatam a falsa dignoscere, vera Revelatione careret, immo sequi posset falsam. Ergo infallibile dicendum est hac in re Ecclesiae judicium. Sed Ecclesia universalis in Concilio Tridentino Sessione quarta congregata authenticam declaravit Vulgatam Editionem, et nedum proposuit, sed sequendum praecepit, ut tutam fidei nostrae regulam, et ut, *In publicis lectionibus, disputationibus, et expositionibus, nemo illam rejicere quovis praetextu audeat, vel praesumat.* Ergo etc.

91. Sed et solam authenticam dicimus: nam excepta

septuaginta Virali, quae vetus tantum Testamentum spectabat, et de qua loquuti sumus, caeteras Versiones nedum nusquam adprobavit Ecclesia; quinimo et proscripsit illas, quae editae fuerunt ab Haereticis, et illas Catholicorum prohibuit in Tridentina Synoda indiscriminatim legi, uti habetur in Regula quarta indicis editi jussu ipsius.

92. Advertendum tamen, quod Concilium Tridentinum authenticam declarans Vulgatam Latinam non intellexit, illam praeferendam esse Hebraicis, et Graecis fontibus, ut calumniatus est Calvinus; sed asseruit, tantum, quod nihil in ipsa continetur contrarium Fidei, et moribus, et quod in essentialibus non discrepat ab originali Textu, licet in levioribus possit etiam emendari. Plane Tridentini sensum exhibuit Andreas Vega, qui Concilio interfuit, lib. XV. et etiam Bellarminus lib. secundo de Verbo Dei, cap. decimo, et duodecimo.

CAPUT VI.

De Sacrarum Scripturarum sensu, et intelligentia.

93. Secundum Theologos ferme omnes triplex distinguitur Sacrae Scripturae sensus, literalis scilicet, mysticus, et accomodatitius. Literalis dicitur ille, quem Verba ipsa per se immediate exhibent. Et duplex est, alter proprius, alter metaphoricus. Ille est, cum verba accipiuntur secundum propriam vim, ut cum legimus, Christum fuisse Cruci affixum; iste autem habetur, cum verba secundum communem loquendi usum

intelligi non possunt, et propterea ad Metaphoram transferimus; ut cum legimus in Evangelio, Christum sedere ad dexteram Patris. Etenim cum simplicissimus sit Deus, dexterum, vel sinistrum latus non habet, quocirca ad Metaphoram recurrimus, et per verba illa intelligimus aequalitatem, seu eamdem Divinam Naturam in Christo, et in Patre.

94. Sensus mysticus habetur, cum verba aliter accipiuntur, quam immediate, sive per vim propriam, sive per Metaphoram significant. Et hic triplex est, Allegoricus, Tropologicus, et Anagogicus. Dicitur allegoricus, cum quae facta sunt, symbola dicimus aliarum rerum, quae erant facienda. Sic multa, quae in Veteri Testamento evenerunt, allegorice dicimus significasse, quae postea facta sunt in Novo Testamento. Tropologicus est, cum quae in Veteri, aut in Novo Testamento facta sunt, ad mores instituendos transferimus. Et tandem habemus sensum anagogicum, cum facta Testamenti Veteris vertuntur ad ea significanda, quae in Coelesti Patria speranda sunt. Unde habemus. *Litera gesta docet, quid credas allegoria. Moralis quid agas, quo tendas anagogia.*

95. Demum sensus accomodatius est, cum verba Scripturae ob aliquam similitudinem ad aliud significandum accomodamus, quam ipsa per se indicant. Hoc sensu utuntur communiter Concionatores, praesertim in laudibus Sanctorum, maxime vero Beatissimae Virginis, cui plurima Scripturae loca accomodant. Sed cavendum est, ne Verba Scripturae adaptemus ad significandas res falsas, aut profanas, ut severe vetavit Concilium

Tridentinum sessione quarta: et ne item hoc sensu accipiamus adimpletas Prophetias Veteris Testamenti. Inde quoque concludunt Theologi, nullum argumentum verum peti posse a sensu accomodatitio pro rebus fidei. Quinimo nec sumi potest a sensu Mystico, nisi confirmetur ab aliis Scripturae locis. Ergo proprius pro Theologis sensus, est litteralis.

96. Plures regulae pro discernendo vero sensu Scripturarum Tradi solent. Prima est sancti Augustini lib. tertio de doctr. Christ. cap. decimo: quod scilicet Scripturae Verba proprie, et secundum litteram accipienda sunt, cum nihil inde sequitur contra fidem, et mores, secus figurate sunt intelligenda: sic figurate intelligimus illud Matthaei cap. XVIII. ✝. 8. *Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te; abscinde eum, et projice abs te:* quoniam facinus est mutilare nosipsos.

97. Secunda regula est, ut cum dubius est sensus, conferatur Scriptura cum Scriptura, Textus cum Textu, et loca antecedentia cum subsequentibus. Sic obscurissimum est illud de Regno Antichristi apud Danielem cap. VII. ✝. 25. *Usque ad tempus, et tempora, et dimidium temporis.* Sed clare perspicitur ex cap. XI. ✝. 2 Apocalypsis. *Et Civitatem Sanctam calcabunt Mensibus quadraginta duobus.* Et clarius versiculo sequenti. *Et dabò duobus testibus meis, et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis.*

98. Tertia regula tutissima est, ut scilicet Scriptura interpretetur naturaliter, vel metaphorice juxta Ecclesiae judicium. Et ratio est, quia Ecclesia decipi non

potest in iis, quae ad fidem, et mores pertinent, ut pluries diximus.

99. Tandem Scripturam interpretari debemus, ex Concilio Tridentino, juxta communem sententiam sanctorum Patrum, vel saltem aliquorum sanctitate et eruditione fulgentium.

100. His praemissis quoad varium sacrae Scripturae sensum, aggrediamur nunc oportet Haereticos circa intelligentiam ejusdem. Profecto Novatores, ut evaderent infallibile Ecclesiae judicium pro tuendis suis erorribus nulla alia validiora arma existimarunt, quam nobiscum sentientes, Scripturam esse veram nostrae fidei regulam, et ex illa sola repetere solutionem cujuscumque quaestionis, secluso quocumque alio judicio. Malitiose quidem egerunt, sed nimis quoque insipienter. Equidem Scriptura, addita etiam Traditione, est sola lex, seu voluntas Dei nostri verissimi superioris, et unica nostrae fidei regula. Sed sicut vana prorsus esset quaecumque Principis lex, si edita, subditis ipsis daretur interpretanda, et servanda; sed absolute quoque opus est, ut alius certus statuatur Judex, qui vices Principis gerens, legem ipsam proponat, interpretetur, et explanet, et vigilet quoque pro illius observantia; sic pariter sacra Scriptura, quae est vera Dei lex, et regula nostrorum morum, absolute indiget aliquo Judice in terra, qui infallibiliter illam proponat, et interpretetur, et cogat quoque ad servandam.

101. Itaque hujusmodi impio consilio Lutherus in Praefatione assertionis articulorum a Leone X. damnatorum. Kemnitius, Brentius, et alii Protestantes non erubue-

runt contendere, sacrae Scripturae sensum esse per se adeo clarum, et apertum, ut quivis de populo, muliercula etiam, possit dogmata assequi, nullo proponente, et declarante. Et licet alicubi sacram Scripturam intellectu difficilem fateantur, id tamen verum esse dicunt pro infidelibus, non autem fidelibus; sed quidem claram semper in iis, quae ad salutem sunt necessaria. Hinc etsi aliqua loca essentialia obscura concedant, ea tamen clara fieri dicunt ex aliis locis, secus necessaria dicenda non sunt, uti sunt multa in Apocalypsi. Sed videamus, quam male suas malitiosas rationes conficiant.

PROPOSITIO XI.

Sacra Scriptura non est adeo clara, et perspicua, ut legitimo interprete non egeat; sicut non minus insipienter, quam malitiose praedicant Haeretici Novatores.

102. *Pr.* Nulla humana lex, quavis diligentia exarata, adeo clara, et perspicua in omnibus, et cuique esse potest, ut in essentialibus, imo et in his praesertim, saepe interprete, et legitimo Judice non egeat. Ergo multo magis sacra Scriptura, quae est lex supremi, et Æterni Legislatoris. Probatur antecedens. Ratio, et experientia evidenter, constanterque docent, ut quaevis Scriptura, maxime si sermo sit de legibus, diverse a diversis hominibus interpretetur. Et quidem unusquisque juxta intellectus sui vires, sui corporis habitudinem,

aetatem, et educationem, de rebus judicat, et sentit. Sed ista omnia nedum diversa sunt in diversis hominibus, sed etiam in eodem subjecto in diversis posito circumstantiis. Ergo ratio evidenter etc. Nec id verum est dumtaxat in accidentalibus. Saepe enim ipsi Philosophi, etiam in veritatibus abstractis, essentialiter non conveniunt, et quae principia pro recte vivendo recipiunt alii, alii reprobant. Et necessario quidem. Etenim si principium necessario movens voluntatem ad appetendum, est bonum: si eadem non aeque bona sunt omnibus; necessario diversum esse debet judicium, diversa appetitio, et diversa etiam ejusdem legis interpretatio. Quod si consulamus experientiam, magis vera detegitur nostra thesis. Quis enim non novit, eumdem humanarum legum articulum nunquam eodem omnino modo interpretari ab omnibus Judicibus, licet omnes improbo studio, longo labore, et forsan sub eodem Doctore, legibus istis dederint operam? Quinimo adeo essentialiter pugnant inter se illorum sententiae, ut quasi semper, quem damnant alii, eumdem alii absolvant. Ergo quaevis humana lex etc.

103. Sed et legitima est illatio. Et quidem primo. Lex Divina, sive Doctrina revelata; est supra humanam rationem. Si ergo non convenit, non solum inter rudes, sed etiam inter Doctos Legisperitos de sensu legum humanarum, quae sunt juxta humani intellectus vires, quomodo inter omnes convenire poterit de sententia Legum Divinarum? Secundo. Procul dubio subditi legem servare non tenentur, nisi lex ipsis proponatur, et nisi certo sciant, illam revera esse sui legitimi

Principis. Sed quomodo nobis nota fiet lex divina, nisi sit qui proponat? Quomodo illam ab imposturis secernemus, nisi sit, qui sua infallibili auctoritate omne dubium dissipabit? Tertio. Si quis malitiose vel totam legem, vel partem illius rejicit, quis illum malitiae arguet? Tandem. Leges humanas nec uniformiter interpretari, nec servare homines possunt, sine judicibus, qui Principis vices gerunt; et tamen Principem habent, quem, licet aliquo incomodo, possent tamen, in datis circumstantiis, consulere, et ab eodem etiam ad observantiam obstringi. Quanto magis ergo judice non indiget Lex Divina, cujus auctor in terra non est?

104. Sed numquid ista omnia reipsa non experimur? Dicant Novatores, Convenit ne inter nos, et ipsos de sensu totius Scripturae. Quinimo convenit ne inter ipsos solos? Et quidem non solum primum discrimen essentiae est, sed et alterum quoque, quia non convenit inter Lutheranos, et Calvinistas de articulis fundamentalibus, et de numero Sacramentorum. Neque dicant impudenter nimis, quod sacra Scriptura clara est, et nota fidelibus tantum, non vero infidelibus. Quis enim quaestionem dirimet inter nos, et ipsos, et inter ipsos etiam solos, qui scilicet sint fideles, quique infideles? En verus Pyrronismus! Sed quomodo aliqui dici possunt infideles? Numquid non omnes sacram Scripturam admittunt, et juxta illius, quem verum judicant, sensum, mores componere student? Numquid infidelitas sine culpa? Sed pudet, et jam pertaesum est ista innumera absurda refellere evidenti lumine rationis. Consulamus ergo ipsam sacram Scripturam.

105. Actorum cap. VIII. ✝. 31 Eunuchus legens Isaiam, et interrogatus a Philippo, num intelligeret, quod legebat, respondit. *Et quomodo possum, si aliquis non ostenderit mihi?* Item Apostolus Petrus Epist. secunda cap. III. ✝. 16 loquens de Pauli epistolis, ait. *In quibus sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti, et instabiles depravant, sicut et caeteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.* Ergo sacra Scriptura non est tam clara, quam dicunt Novatores. Tandem Lucae cap. XXIV. ✝. 27 legitur, quod Christus. *Incipiens a Moyse, et omnibus Prophetis, interpretabatur illis*, (Discipulis) *in omnibus Scripturis, quae de ipso erant.* Sed discipuli erant fideles, et praedestinati etiam, excepto solo Juda. Ergo sacra Scriptura est intellectu difficilis, etiam fidelibus.

106. Id confirmatur ex facto. Procul dubio est essentiale ad salutem scire sensum verborum Christi apud Matthaeum. *Omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam maechari, et qui dimissam duxerit, maechatur.* Graeci inde deducunt, matrimonium dissolvi per adulterium, Catholici contra sentiunt. Ergo in essentialibus locus iste obscurus est. Nec fieri potest clarus ex aliis locis ejusdem Scripturae. Etenim aliud hac super re testimonium est illud Marci cap. X. ✝. undecimo. *Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam.* Sed non convenit, utrum illud ex isto, an potius istud ex illo intelligendum sit. Priori modo accipiunt Catholici, et propterea matrimonium

tuentur indissolubile. Graeci explicant posteriori modo, et inde credunt, matrimonium solvi, posita conditione adulterii. Quomodo ergo solvetur quaestio? Dicendum igitur, quod absolute requiritur interpres infallibilis, et legitimus Judex sensus sacrarum Scripturarum, qui sine dubio est Ecclesia.

107. Tandem veritas nostrae thesis confirmatur ex communi doctrina Sanctorum Patrum. Sed brevitatis causa sit instar omnium Augustinus, quo praesertim haeretici abutuntur. Hic itaque Sanctus Doctor in psalmum 140 scribit. *Sunt in Scripturis Sanctis profunda Mysteria, quae ad hoc absconduntur, ne vilescant, ad hoc quaeruntur, ut exerceant, ad hoc aperiuntur, ut pascant.* Et in Epist. ad Volusianum ait. *Tanta est Christianarum profunditas Scrpiturarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia, usque ad decrepitam senectutem, longo otio, summo studio, meliori ingenio, conarer addiscere.* Concludendum igitur omnibus rationibus, quod Sacra Scriptura etc.

Solvuntur objectiones.

108. *Obj.* Joannis cap. v. ✝. 39. Christus Dominus ad solam Scripturam remittit Judaeos pro detegenda fidei veritate. *Scrutamini Scripturas.* Ergo Scriptura per se est cuique clara, nec ullo indiget interprete.

℟. *Dist. ant.* Christus Dominus etc., veluti veram normam, et regulam fidei, concedo *ant.* ut regulam per se in omnibus adeo claram, ut saepe interprete non

egeat, et item absolute semper non egeat Judice, qui et authenticitatem infallibiliter declaret Scripturarum, et exortas quaestiones definitivo judicio solvat, *nego ant. et cons.* Utique Scriptura simul cum Divina, et Apostolica Traditione pro Novo Testamento est unica regula, seu norma nostrae fidei, et morum. Ipsa enim continet, et legentibus exhibet Doctrinam Revelatam, quae est Dei voluntas, seu lex. Ergo sicut in omnibus civilibus actionibus legem principis scrutari, et observare debemus, ita quoad fidem Divinam, scrutari debemus Sacram Scripturam, et illam veluti regulam sequi. Sed id ut praestari possit, necesse nobis est, ut sit, quemadmodum in legibus humanis, qui sua auctoritate nos certos faciat de vera Sacra Scriptura, seu de vera Divina Lege, illam in difficilioribus explanet, et interpretetur, et definitiva sententia quaestiones dirimat, si insurrexerint. Et quidem si hoc absolute necessarium est pro legibus humanis, multo magis necessarium est pro Lege Divina, quae supra lumen rationis sua dogmata docet, nec in dubiis homines adire possunt aeternum, et Divinum Legislatorem.

109. Atqui verba Christi *Scrutamini Scripturas* indicant, ex solis Divinis Scripturis sumi debere omne judicium quoad fidem, et quoad mores. Ergo etc. *Prob. min. subs.* Actorum xvii. versic. undecimo Beroenses, et Thessalonicenses ad Pauli praedicationem *susceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie scrutantes Scripturas, si haec ita se haberent.* Quibus, ita. Quae circa fidem Paulus docuit Beroenses, ac Tessalonicenses, ab ipsis ad solas Scripturas, veluti unicam normam fi-

dei, et ipsius normae judicem, revocata fuerunt, et ob id in Scripturis laudibus afficiuntur. Ergo etc.

℟. *Dist. ant.* Quae etc. revocata sunt judicio discussionis, *conc.* judicio definitionis, *nego ant. et cons.* Beroenses non ad Scripturas legendas se converterunt, ut crederent Paulo, jam enim verbum cum omni aviditate exceperant; sed ut in fide proficerent, videntes, omnia, quae de Christo ab Apostolo annuntiabantur, fuisse praedicta vaticiniis Prophetarum. Vidit id etiam Grotius, quem tanti faciunt Novatores, scribens in hunc locum tom. secundo pag. 630. Non quod dubitarent de veracitate Pauli, sed ut prophetica scripta cum illius verbo conferendo magis, magisque in veritate confirmarentur. Hac intentione, animoque proficiendi unicuique fas est Scripturas expendere, et ex illis veritatem investigare judicio discussionis, non vero judicio definitionis, quae duo Heterodoxi callide confundunt. Adde, diversam esse rationem illorum, quibus nova doctrina proponitur, et illorum, qui jam alicui Religioni se manciparunt. Illi enim si prophetias, si miracula, si rerum consonantiam, si Auctorum fidem, explorant, prudenter se gerunt, cum nemo teneatur credère, priusquam motiva credibilitatis ad trutinam revocaverit. Tales fuisse Beroenses conjicit Joannes Lirensis Commentario in hunc locum. At qui fide jam imbuti sunt, et Christi Religionem susceperunt, debent supremi Judicis agnoscere auctoritatem, sine qua Religionis unitas nequit consistere.

110. Atqui ea omnia, quae ad fidem pertinent, non solum judicio discussionis, sed etiam definitionis ex Sa-

cris Scripturis resolvenda sunt ab omnibus. Ergo etc. *prob. sub.* Apocalypsis cap. v. dicitur. Agnus occisus, idest Christus, aperuisse Librum, et solvisse signacula ejus. Quibus, ita: Ideo per vos ad omnia dogmata judicio definitionis discutienda non sufficit Scriptura, quia haec per se non est adeo clara, et omnibus perspicua. Sed hoc est falsum: nam post Christi mortem nullum amplius mysterium latet, quia Libri olim clausi jam disrupta sunt septem Signacula, hoc est patefacta sunt omnia. Ergo etc.

℟. Ideo in Apocalypsi dicitur Agnus accepisse Librum, et solvisse signacula ejus, quia in Christi morte completi fuerunt typi Veteris Testamenti, ut demonstravit scissio quoque veli, juxta communem Patrum, et Interpretum expositionem, cui addimus primo, Librum ab agno apertum fuisse in medio seniorum, et quatuor animalium, Evangelistarum nempe, et Apostolorum, quibus Dominus utique aperuit sensum, ut intelligerent Scripturas. Deinde cum aperuisset Agnus unumquodque de septem sigillis, ait unum de quatuor animalibus: *veni, et vide* (cap. VI. v. 1.) quae sunt verba Petri Principis coetus Apostolici Joannem alloquentis, quia dignioribus summus Ecclesiae Rector pandit oracula. Si autem aliquis Novatorum petat, quisnam hoc loco Petrum speciatim nominari existimet, quis expositionem hanc tradat; quamvis possem afferre Interpretes catholicos, tamen respondeo, fuisse Grotium, quem Novatores appellant eximium, illustrem, et singulis Romanensibus praeferendum. Quod si Grotium decipi reponant, fateantur oportet, Librum adhuc esse obsignatum et quidem ipsis Doctoribus Novatorum.

111. *Dices*. Qui primario, et infallibiliter quaestiones terminat, ac definit de Ecclesia, et ejus capite, ille profecto supremus, et infallibilis omnium controversiarum judex censendus est. Sed sola Scriptura primario, et infallibiliter terminat, ac finit quaestiones de Ecclesia, et ejus capite. Ergo sola Scriptura etc. *prob. min.* Catholici ex Scriptura probant, Ecclesiam esse infallibilem, et Romanum Pontificem esse caput illius. Ergo etc.

℟. Argumentum istud non plus concludit, quam quod qui per modum legis terminat quaestionem de Ecclesia, et ejus capite, sit infallibilis harum et caeterarum fidei, quaestionum norma; qui vero terminat per modum judicis, sit infallibilis quaestionum normae judex. Sed Scriptura terminat ut norma dumtaxat. Ergo omnium fidei quaestionum est suprema, et infallibilis norma, non vero judex. Discrimen, quod intercedit inter quaestionem terminare per modum judicis, et per modum normae, est in eo, quod Judex terminat per modum declarationis, seu interpretationis normae, seu legis, unde quod semel dixit, potest repetere, ac proinde si quid obscure ab eo prolatum fuit, potest deinceps clarius explicare. Sed norma, seu lex, terminat per modum causae exemplaris, et mensurae; quapropter semper idem, et eodem modo, sive claro, sive obscuro, dicit. Paucis verbis. Scriptura est lex, juxta quam mores componendi sunt. Sed quia saepe non constat de veritate, seu legitimitate legis, aut varie a variis hominibus interpretatur, ideo absolute opus est Judice, qui quidem ex se facultatem non habet legem efformandi, sed dignoscit tamen veram legem a supposita, et infallibiliter, et inappellabili sententia judicat de vero sensu legis.

112. *C*. Ex data responsione sequeretur, quod haereticus censendus esset non qui Revelato Dei Verbo resistit, sed ille, qui resistit Ecclesiae definitionibus, atque judicio. Sed hoc est falsum. Ergo etc.

℟. Haereticus in se est ille, qui Dei voluntati, quae illius est lex, et in Sacris Scripturis continetur, resistit, unde si quis certus est, aliquem Librum Sacrae Scripturae, aut aliquam illius partem, veram continere Divinam Revelationem, iste si illi resistit, et contradicit, statim per se haereticus est. Quod si non constat de Canonicitate alicujus libri, tunc qui illi resistit, revera in se haereticus non est, quia certus non est de lege, seu voluntate Dei, sed fiet haereticus, si resistat judicio legitimi Judicis, qui illum tutum reddit et de Canonicitate Libri, et de vero illius sensu, quoniam sciens Dei resistit voluntati, juxta illud Matthaei cap. XVIII. ✝. 17. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, et Publicanus.*

113. Dicunt rursus Adversarii. Deuteron. cap. XXX. ✝. 11. legitur. *Mandatum hoc, quod ego praecipio tibi hodie, non supra te est, nec procul positum...* Ergo lex Divina, et consequenter Sacra Scriptura, non est supra captum cujusque fidelium, quocirca interprete non indiget.

℟. Verba ista Deuteronomii facilitatem potius, quam claritatem indicant Divinae Legis. Sensus itaque est, mandata Legis Divinae non esse observatu difficilia, sed esse illa eadem, quae per legem naturae jam inscripta sunt in corde cujusque. Quare non urgent nos, sed ipsos potius haereticos asserentes, difficillimum esse mandata legis adimplere.

114. Tandem dicunt. Isaiae Cap. VIII. ℣. 20 Mandat Deus, ut in rebus ambiguis tanquam ad judicem recurramus ad legem magis, et ad testimonium. Et Jeremiae cap. XXXI. ℣. 33., ne quis alterum judicium quaerat, ait. *Dabo legem meam in visceribus eorum et in corde eorum scribam eam.* Ergo etc.

℟. Apud Isaiam eo loco damnantur illi, qui ad pythones, et maleficos confugiunt, ut cognoscant futurorum eventus, quod stricte prohibetur in lege Domini Deuteronomii cap. XXXI. ℣. 10 et id liquet ex verbis proxime praecedentibus. *Et cum dixerint ad vos: quaerite a pythonibus, et a Divinis, qui strident in incantationibus suis.* A Jeremia autem praedicitur Novum Testamentum, in quo non solum lex forinsecus terret minitando, sed et intrinsecus quoque Divina gratia adjuvat, amorem justitiae inspirando, neque in corde inscribitur atramento, sed Spiritu Dei vivi, ut ait Apostolus in secunda ad Corinthios. Audiatur Augustinus de Spiritu, et litera cap. V. ℣. 21. *Quid sunt ergo leges ab ipso Deo scriptae in cordibus, nisi ipsi praesentia Spiritus Sancti, qui est Digitus Dei, quo praesente diffunditur charitas in cordibus nostris, quae plenitudo legis est, et perfectio finis?*

PROPOSITIO XII.

Spiritus Privatus Heterodoxorum pro Sacra Scriptura interpretanda idem est, ac Pyrrhonismum inducere, aut indifferentismum promovere: et propterea penitus est eliminandus.

115. Probatur primo ex humana ratione. Procul dubio juxta suam quisque physicam habitudinem, item educationem, et actuales circumstantias, de rebus sentit, et judicat, et aliorum Judicia, et sententias interpretatur. Ergo quot sunt lectores Sacrarum Scripturarum, tot ferme erunt de illis sententiae, et judicia. Sed per Heterodoxos nullus datur exterior judex, qui quaestionem dirimat. Ergo vel admittitur, ut quisque sit judex in propria causa, quod durum est auribus; vel non. Si hoc; ergo nunquam veritatem certo assequemur, semper in dubio erit quaestio pro defectu Judicis legitimam sententiam ferentis; et merito propterea suam quisque oppositam sententiam tuetur. En igitur Pyrrohonismus. Et en etiam indifferentismus in negotio Religionis. Quod si quisque in sua causa legitimus Judex dicatur: ergo in sententiis oppositis alterutri in falsitate versantur, alterutri a suo privato Spiritu decipiuntur. Sed numquid oppositio isthaec non ferme quotidie observatur? Ratio superius adducta evincit, et experientia confirmat. Etenim nonne diverso prorsus sensu, ac nos Heterodoxi in essentialibus Scripturas interpretantur? Quin et inter se item in fundamentalibus articulis dissentiunt; uti praesertim in Sacramentorum numero. Ergo dicendum, quod Spiritus privatus etc.

116. Nec quicquam juvat respondere, quod pro Spiritu privato intelligitur spiritus praedestinatorum, Spiritus Dei, qui investit, et dirigit eos; qui sunt veri Christi sectatores, et in spiritu, et veritate adorant Deum. Ecquis enim verum judicium feret de veritate hujusmodi veri Spiritus? Eodem quippe jure, quo pessimi Novatores, Catholici propugnant, se agi, et moveri a vero coelesti Spiritu, et eodem quoque jure Lutherani, et Calvinistae invicem inter se. Ergo necessario et in Pyrronismum, et Indifferentismum incidamur oportet.

117. Sed et Scriptura ipsa in controversiis fidei non ad privatam cujusque revelationem mittit, sed ad externum, et visibilem Judicem. Sic Deuteronomii cap. XVII. ✠. 8. scriptum legimus. *Si difficile, et ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem, et sanguinem, causam, et causam, lepram, et lepram: et judicium intra portas tuas videris verba variari: surge, et ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Veniesque ad Sacerdotes Levitici generis, et ad judicem, qui fuerit illo tempore, quaeresque ab eis, qui judicabunt tibi judicii veritatem.* Et Malachiae cap. 2. ✠. 7 legitur: *Labia enim Sacerdotis custodient scientiam et legem requirent ex ore ejus.* Item Aggaei cap. 2. ✠. 12 habemus. *Interrogo Sacerdotes legem.* Pro novo vero Testamento adducimus Apostolum, quo Heterodoxi abutuntur. Itaque ad ephesios cap. IV. ✠. 11. ait Paulus. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, et Doctores. Ad consummatio-*

nem Sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi . . . Ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae. Quomodo, quaeso, *ne circumferamur omni vento doctrinae*, si in sententia Heterodoxorum ipse Spiritus sanctus, Spiritus quidem veritatis, unumquemque private docet fidei veritates? Sed ad quid dedit Deus alios pastores, alios doctores? Concludendum igitur etc.

118. Multa opponi solent: sed praecipua sunt primo. Joannis Epist. primae cap. 2. ℣. 27 legitur *unctio ejus docet vos de omnibus*. Ergo praedestinati non exterius, sed interius a Spiritu Dei, docentur fidei veritates.

119. Secundo Isaiae cap. LIV. Deus dicit *ponam... universos filios tuos doctos a Domino*. Ergo fideles immediate a Deo docentur omnia.

120. *Tertio*. Jeremias postquam dixit c. 31 v. 33. *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam:* subdit et sequenti. *Non docebit ultra vir proximum suum, dicens: cognosce cognosce Dominum: omnes enim cognoscent me, a minimo eorum, usque ad maximum.* Quid clarius pro exclusione cujuscumque Doctoris exterioris, et pro interiori spiritu asserendo?

121. *Quarto*. Sed dubium quodcumque dissipat Apostolus in prima ad Corinth. cap. 2. ℣. 15. Ibi enim ait *spiritualem judicare omnia, et ipse a nemine judicatur*. Ergo per Apostolum homo spiritualis, praedestinatus scilicet, nullum exteriorem judicem agnoscit, cujus auctoritati subjiciatur.

122. *Tandem*. Matthaei cap. XXIII. ✝. 8. Christus ait. *Vos autem nolite vocari Rabbi : unus enim est Magister vester* (Christus). Ergo nusquam ex praecepto Christi recurrendum est ad judices exteriores , et humanos pro interpretando vero sensu Sacrarum Scripturarum , et dirimendis fidei controversis.

℟. Ad omnia. Et quidem ad primum dicimus : Joannes in allato loco scribit ad Parthos , qui jam in fide instituti , et corroborati ab ipso erant. Nam ait ibidem ℣. 21. *Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem* , *sed quasi scientibus eam*. Ergo necesse non erat , ut illos Joannes ad privatum Spiritum mitteret , ut fidei controversias dijudicarent. Ergo monere voluit, ut caverent se a Pseudoprophetis, qui praedicabant longe diversa , ac ipse docuerat. At nonnisi perperam omnino Haeretici verbo *unctionis* intelligunt Spiritum privatum. Unctio enim isthaec gratia coelestis est , qua interius acti , et moti Parthi ad Apostolorum praedicationem , Christi Fidem amplexi fuerant. Et bene quidem : nam , ut suo loco dicetur , sine interiori Dei gratia , Christi fides nullatenus suscipi potest sola externa praedicatione , aut humanae naturae viribus.

Ad secundum dico , quod utique Deus ponit doctos; verùm non per Spiritum privatum , sed per interiorem coelestem gratiam praevenientem , et promoventem , et per praedicationem , et ministeria exteriora Doctorum , et Pastorum.

Ad tertium dico , quod per priora verba Jeremias primo intelligit legem naturalem , quae est vera Dei Lex scripta in visceribus , et in corde omnium. Secun-

do innuit coelestem gratiam, quae non deest cuiquam. Per verba autem subsequentia intelligit cognitionem, et professionem verae Religionis, et agnitionis, et venerationis unius veri Dei; quae quidem cognitio erit universalis, et communis omnibus; et nullimode intelligi possunt de judicio controversiarum fidei, quasi ab unoquoque ipsae dirimi possunt et debent per Spiritum privatum. Quippe inquit. *Non docebit vir proximum suum, dicens: cognosce Dominum.* Ecquid enim secus, si scilicet interiori spiritu quis doceretur? Ecquid, inquam, Christus, et Apostoli docuerunt, et praedicarunt? Et ecquid etiam ipsi Protestantes docent, monent, scribunt, praedicant, et illorum Doctores Sacram Scripturam interpretantur?

Ad quartum. Apostolus in allato loco instituit antithesim, et postquam dixit in versu praecedenti. *Animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei;* subdit. *Spiritualis autem judicat omnia.* Sed per verba antecedentia *animalis homo* etc., non intelligitur perceptio Scripturarum, sed tantum, quod, qui terrenis cupiditatibus, et deliciis, et carnalibus desideriis sunt addicti, non percipiunt, hoc est non capiunt, coelestia. Ergo nec per verba subsequentia, *spiritualis* etc. intelligi potest sensus scripturae; quasi, qui spiritualis est, ex se illam cognoscat, interius tantummodo edoctus a suo spiritu privato. Judicat omnia: scilicet percipit non solum sensibilia, et caduca, ut homo animalis, et verum de illis efformat judicium; sed vere etiam judicat coelestia et aeterna. Et quoniam non illusus a sensibus, et recte de istis judicat, propterea a ne-

mine judicatur : scilicet non facile ab aliis erroris argui poterit. Quid ista cum spiritu privato Novatorum?

Ad ultimum. Unus quidem est verus Magister noster, et Legislator Christus; et caeteri homines Doctores, et Pastores, illius tantummodo gerunt vices. Unde si verus Magister ille dicitur, qui suam, non vero alienam doctrinam docet, nullus alius, praeter Christum, est verus Magister noster, quia omnes alii non suam, sed Christi Doctrinam docent.

CAPUT VII.

De Sacrorum Librorum Auctoribus.

123. Quoniam solus Deus est Auctor Doctrinae, quam hominibus revelavit; et cum doctrina isthaec in Sacrae Scripturae Libris reperiatur; inde fit, ut ipsorum Librorum verus, et unicus Auctor sit idem Deus. Ergo praesens noster sermo non est de vero Auctore Divinorum Librorum, sed quaerimus dumtaxat, quinam fuerint illi, quorum ministerio Deus usus est ad varios Scripturarum Libros exarandos. Exordiamur itaque a Libris Veteris Testamenti.

124. Et quidem Pentateuchi auctorem fuisse Moysem, satis a nobis vindicatum est. Sequitur Liber Josue, quem ab ipso Josue fuisse conscriptum, satis ostendunt, quae in illius postremo Capite ℣. 26 leguntur. *Scripsit quoque omnia verba haec in volumine legis Domini.* Nihilominus duo objiciuntur. Primo, quod in isto libro fit mentio Terrae Chabul, quae

vox non excedit tempora Salomonis, qui terram illam dono dedit Hiramo Regi Thyriorum. Secundo, quod in ultimo capite ipsius, mors Josue describitur. Verum ad primum adaequate respondet Huetius innixus auctoritati Josephi Hebraei libro octavo Antiquitatum Judaicarum, ubi Chabul, de qua est sermo in libro Josue, distinguitur a Chabul, de qua in libro tertio Regum cap. IX. v. 13. Haec erat parva Regio constans decem oppidis; illa autem erat simplex vicus in finibus Ptolomaidis. Ad secundum dicimus, quod ad complementum historiae mors Josue addita fuit ab Esdra post Babylonicam Captivitatem.

125. Librorum Judicum, et Ruth omnino ignorantur auctores, licet nonnulli putent exaratos fuisse a Samuele. Idem dicendum de Libris Regum: Nonnulli primum, et secundum tribuunt Samueli, Nathan, et Gad; et alii tribuunt Jeremiae, Davidi, Ezechiae, vel Isaiae, vel Esdrae. Dicendum ergo, quod horum omnium Librorum prorsus ignorantur auctores.

126. Quoad Paralipomenon, Judaeorum Doctores, et multi etiam ex nostris, censent fuisse ab Esdra conscripta, propterea quod sub fine libri secundi fit mentio reditus Hebraeorum ex Babylonica servitute. Item, quia Liber primus Esdrae incipit iisdem verbis, quibus Paralipomena absolvuntur, ideo eidem Esdrae tribuitur. Exinde videtur etiam erui, librum, qui dicitur Esdrae, ab ipso Esdra fuisse conscriptum, etsi Cap, VII. legatur, Esdram gratiam invenisse apud Artaxersem, quoniam dicunt, Auctorem hic non in aliena, sed in propria persona loqui.

127. Verum quidem, quod non parvi momenti sunt quae contra hujusmodi opinionem objiciuntur. Dicunt enim nonnulli: Post reditum a Captivitate Babylonica, cum Judaei sub Zorobabele templum reaedificare incepissent, a Legatis Regis Persarum interrogati fuerunt, quo nomine id moliri ausi fuerint, responsio videtur fuisse auctoris Libri. Sed tunc non aderat Esdras, qui Jerusalem venit tempore Artaxersis, qui fuit sextus a Cyro, sub quo soluta fuit Captivitas. Ergo Libri auctor non fuit Esdra. Sed alii respondent, Esdram bis venisse Jerusalem, nempe sub Zorobabele, et post obtentam facultatem ab Artaxerse aedificandi Templum, et Civitatem. Et non desunt, qui dicunt, verba illa. *Ad quod respondimus* non ab auctore Libri dicta fuisse, sed a Primatibus nomine totius Nationis.

128. Liber Tobiae partim tribuitur Tobiae Patri, et partim Filio, exceptis duobus postremis versiculis.

129. De Psalterio quidam opinantur, omnes centum quinquaginta psalmos ab uno Davide fuisse compositos: Primo, quia omnes semper in Novo Foedere Davidi tribuuntur: Secundo, quia semper legimus, Psalmos Davidis nomine, et non aliter fuisse decantatos. Sed alii respondent, id factum fuisse, ex quo major numerus ipsorum est Davidis.

130. Proverbia communiter tribuuntur Salomoni quoad rem, sed ab alio sic disposita. Salomoni quoque tribuuntur Ecclesiastes, et Cantica Canticorum. At de Libro Sapientiae res est incerta. Hieronymus opinatur, hunc librum fuisse a Philone exaratum, eo quia eloquentia graeca redolet. Augustinus dubitavit. Sed pro-

babile quidem est, hunc librum ab aliquo elucubratum fuisse ex sententiis Salomonis: sicut quoque dicendum est de Libro Ecclesiastici, qui tribuitur Jesu filio Sirach.

131. De Propheticis Libris nemo dubitat fuisse illorum, quorum nomina praeseferunt. Denique de Libris Machabaeorum certa res videtur, quod non fuit uterque ejusdem Auctoris, quia in Libro secundo repetuntur, quae in primo enarrata fuerunt: Sed qui fuerint auctores, omnino ignoratur.

132. De Libris Novi Foederis aliqua tantum difficultas, sed vana prorsus, occurrit de Epistola Pauli ad Hebraeos. De Apocalypsi haec objiciuntur a Lutheranis. Et quidem primo. Joannes nec in Evangelio, nec in Epistolis suum apposuit nomen. Ergo Apocalypsis, in qua saepe repetitur nomen Joannis, illius non est. Secundo. In vetustissimis codicibus non legitur Joannes Apostolus, sed Joannes Theologus. Tertio. Stylus Apocalypsis toto caelo differt a Stylo Joannis Apostoli in Evangelio, et in Epistolis.

133. ℞. Et quidem ad primum dicimus, quod Joannes scribens Apocalypsim librum propheticum, morem gessit Prophetarum, qui omnes suis libris nomen apposuerunt, et in Evangelio secutus est morem aliorum Evangelistarum. Ad secundum dicimus, quod ideo a Veteribus Joannes appellatus fuit Theologus, quia velut aquila sublimius in suo Evangelio loquitur de Divinitate, et Incarnatione Divini Verbi.

134. Hactenus de Sacra Scriptura, quantum instituti ratio postulare videbatur. Solent etiam disceptare Theo-

logi, num quaelibet Scripturae Verba divinitus inspirata sint, an potius tantum quoad sensum. Etsi magni nominis Theologi pro prima sententia pugnent, nos tamen alteram tuemur, ea praesertim ducti ratione, quod inutile putamus ad divinam inspirationem recurrere, ubi opus non est. Caeterum, si singula Sacrae Scripturae verba a Deo inspirata fuissent, stylus quoque esset idem, qui tamen varius est, pro varietate ingenii Scriptorum Sacrorum. Ergo si superflua in hoc est divina inspiratio, eccur non sufficiens dicitur ejus inspiratio quoad sensum tantum?

185. Progrediamur itaque ad alterum verum, et tutum Theologicum locum, ut ab initio diximus, ad Revelationem scilicet, non scriptam, sed voce traditam.

PARS SECUNDA

DE VERBO DEI TRADITO.

135. Novatores ut agnoverunt, Sacris Traditionibus maximam inesse vim ad suos confutandos, et profligandos errores, ad illas omnes vires intenderunt, et pro quovis asserendo dogmate nullam aliam, praeter sacram Scripturam, statuerunt regulam, ut sic pro arbitrio sensum ipsius Scripturae detorquentes, erroris, et impietatis nec redargui, nec revinci possent. Hoc pisum jam tentaverunt Valentiniani, et Gnostici; hoc ipsum fecerunt Ariani rejiciendo vocabulum *Homousion* propterea quod in nullo ex sacris libris illud scriptum reperiebatur; et idem praestiterunt Haeretici fere omnes. Sed quoniam majori audacia, et conatu Traditionibus Divinis bellum indixere Lutherani, et Calvinistae, ideo ipsorum proprius hujusmodi error factus est. Sed ut cognoscatur quantum sit Novatorum odium in Traditiones, meminerimus illa virulenta Lutheri verba adversum Regem Angliae. *Ego adversus dicta Patrum, hominum, Angelorum, Daemonum, pono non antiquum consensum, non multitudinem hominum, sed unius Majestatis aeternae Verbum, hic sto, hic sedeo, hic maneo, hic triumpho, hic insulto Papistis . . . Et omnibus portis inferi, nedum dictis hominum, quantumlibet Sanctorum, aut consuetudini fallaci. Dei verbum est, super omnia, Divina Majestas mecum facit, ut nihil curem, si*

mille Augustini , mille Tertulliani contra me starent. Deus errare , fallere non potest ; Augustinus et Cyprianus , sicut omnes electi errare potuerunt, et errarunt ; dogmata mea stabunt, et Papa cadet. Proh furor ! ! Sed ut percelebris haec quaestio dilucide resolvatur , visum est praenotare quid , et quotuplex sit Traditio , et quibus notis discernatur.

136. Itaque per Traditionem Patres , et Theologi intelligunt generatim doctrinam non in libris canonicis scriptam , sed in Ecclesia conservatum , et ad nos voce transmissam , quae ad fidem , aut mores , et disciplinam pertinet. Et triplex distinguitur, Divina, Apostolica , et Ecclesiastica.

137. Traditio Divina est , quae a Christo ducit originem , et spectat praesertim formam , et materiam Sacramentorum ab ipso Christo , qui solus , ut Deus , potuit sensibilibus signis gratiam alligare , institutorum. Apostolica dicitur illa , quae ab Apostolis , procul dubitatione Divino Spiritu afflatis , quoniam a Christo ipso electi ad praedicationem , et propagationem novae Legis gratiae , Ecclesiae proposita fuit ; ut fidei symbolum recitandum a Catechumenis Sacro lavacro expiandis. Tandem Traditiones dicuntur Ecclesiasticae , quae provido consilio ab Ecclesia inductae , et paullatim receptae fuerunt , et ab omnibus servatae ; cujusmodi sunt ritus in Sacramentorum administratione servandi , ordo precum , institutio dierum festorum, et alia id generis permulta. Omnium tamen Traditionum, quaedam pertinent ad Divinam doctrinam , ut dogma de Canone sacrarum Scripturarum, et de perpetua Deiparae Virginitate, quae-

dam ad mores, ut jejunium, Sanctorum cultus, monachalis institutio; et quaedam ad simplicem disciplinam, ut collatio baptismi per immersionem aut ablutionem.

138. Ad discernendas Christi, et Apostolorum traditiones, de quibus proprie procedit quaestio, his regulis Theologi communiter utuntur. Prima. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum fuit, et semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.* Haec regula desumpta est a D. Augustino lib. quarto de Baptismate contra Donatistas cap. XXIV. Ratio hujus regulae apertissima est: nam si consuetudinis cujuspiam diu in tota Ecclesia observatae originem, et principium nec ad summos Pontifices, nec ad Concilia Episcoporum referre possumus, eam recte repetere debemus ab Apostolis, et eisdem tribuere. Secunda huic proxima est. *Si quod fidei dogma Patres ab initio secundum suorum temporum successionem concordissime tenuerunt, ejusque contrarium, veluti haereticum, refutarunt, quod tamen in Sacris Libris non habetur, id certo per Apostolorum traditionem habet Ecclesia.* Pro exemplis sunt perpetua Beatae Mariae Virginitas, descensus Christi ad Inferos, ut animam Adae, et reliquorum Patrum, quae ibi tenebantur, erueret; certus Evangeliorum numerus, et caetera id genus. Quippe omnia fidei dogmata ab Apostolis Ecclesia accepit vel scripto, vel voce, qui si ministri fuerunt sermonis Christi, nullas in fide novas revelationes Ecclesia habet, sed eas tantum, quas Apostoli per Spiritum

Sanctum; quem illis Christus adpromiserat, fideli populo reliquerunt. Tertia regula est. *Si uno ore viri Ecclesiastici testantur, dogmata, aut consuetudinem ab Apostolis derivasse, aut contrarium asserentes, tamquam haereticos reprobant, Divinae, aut Apostolicae traditionis certum est argumentum.* Ita docuerunt Patres septimae Synodi; quod et rationi quoque consentaneum est, quia dum adhaeremus Doctoribus Ecclesiasticis, et disjungimur ab Haereticis, sequimur Spiritum veritatis, et recedimus a Pseudoprophetis, et hominibus mendacibus. Contra traditio Divina vel Apostolica censenda non est, si non ab Ecclesia Universa servetur, sed vigeat dumtaxat in aliqua Ecclesia peculiari; si perantiqua non sit, ejusque institutionis designetur origo; si a perpaucis, licet antiquis, scriptoribus commemoretur, sed repugnant alii numero, doctrina, et auctoritate conspicui; et denique si viri Ecclesiastici, et Apostolica praesertim Ecclesia, tamquam novam adinventionem, illam repudient. Hisce praemissis, sit

PROPOSITIO XIII.

Existit Divina Traditio, et ea agnoscenda est, tamquam altera necessaria regula fidei, et morum.

139. Hoc dogma fidei sic probatur primo. Nemo negare audebit, Ecclesiam esse antiquiorem Sacris Scripturis, et aliquando, solam Traditionem fuisse verae fidei normam. Etenim in lege naturae nulla fuit Sacra

Scriptura, et tamen fuit vera Ecclesia, et vera Doctrina revelata, quae, quoniam vere est necessaria, uti in priori libro abunde demonstravimus, nunquam deficere potuit hominibus. Quinimo de facto constat, fuisse Ecclesiam in lege naturae, et consequenter Divinam Revelationem. Ecquid enim sacrificia, quae obtulit Abel, Dei cultus confirmatus ab Henoch, immolata a Noe holocausta, acceptum a Deo mandatum circumcisionis, Altaria a Jacob erecta, et alia legis naturae instituta, absque scriptura servata. Ergo in lege naturae fidei regula non erat verbum scriptum, sed traditum, per quod filii a parentibus docebantur Religionem, et ritum colendi Deum, unde cecinit David psal. 87. *Quanta mandavit Deus patribus nostris nota facere filiis suis, ut cognoscat generatio altera.*

140. In lege autem Moysis etsi plura Sanctis literis fuerint tradita, multa tamen alia fide certissima tenebantur ex sola traditione Majorum. Et ut mittam, quae speciatim designari non possunt, ut remedium pro faemellis ad originalem culpam expiandam, undenam acceperunt Judaei, cruentis victimis praesignari Christum Redemptorem? Profecto ex patrum institutione, de qua idem Regius Vates psal. 45, ait. *Deus, auribus nostris audivimus, Patres nostri annuntiaverunt nobis.* Si denique de Evangelica lege sermonem instituamus, Christus Dominus auctor ipse Revelationis Novae legis gratiae, nihil ipse scripsit, quod canonicum esse sciamus, et voce tantum, Apostolos praesertim, quotidie docebat: nec etiam eisdem praecepit, ut literis

mandarent Evangelica dogmata, sed ut ea universis hominibus annuntiarent, adeo ut Christi fides, juxta Prophetarum vaticinia prius cordibus, quam tabulis scripta fuerit. Praecessit itaque traditio Scripturam, et aliquando Ecclesia, et Religio absque verbo Dei scripto exiterunt.

141. *Prob. Secundo.* Plura nobiscum Haeretici propugnant dogmata, quae ex Scripturis probari non possunt. Perpauci quidem sunt, qui adversus Elvidium non fateantur perpetuam Deiparae Virginitatem; baptizandos pueros ante usum rationis adversus Anabaptistas, defendunt Lutherani, et Calvinistae. Item utrique censent, valere Baptismum ab Haereticis collatum. Sed haec nullimode ex Scripturis constant. Ergo Novatores ipsi Divinam et Apostolicam Traditionem admittunt, veluti alteram fidei nostrae regulam. Item alia inferuntur quidem ex Scriptura, verum non clare et explicite, nisi in auxilium vocemus quoque Traditionem. Sic processionem Spiritus Sancti non solum a Patre, sed etiam a Filio, Sacramentorum numerum, aliaque multa non ita expressa in Canonicis Scripturis invenies, ut inde possint adversarii penitus refelli. Quinimo et quae in Scripturis expressa sunt, facile in contrarium sensum detorquentur, Patrum Traditione rejecta; ut et Grotius ipse in annotatis ad Consulta Cassandri scripsit. *Et jam Protestantes, quae tuentur, ea non sunt omnia ad verbum in Sacris literis. Dicunt, admittendas consequentias; at ipsi consequentias saepe admittunt ex privato cujusque ingenio. Unde tot, et tam gravia inter ipsos dissidia, et quotidiana divortia: Ca-*

tholici vero eas admittunt consequentias, quas admisit vetus Ecclesia antiquo, et universali consensu; atque ita stat omne verbum in duobus testibus, in Scriptura, et traditione, quae mutuo facem sibi allucent.

142. *Prob. tertio ex Scripturis.* Proverbiorum cap. 1. ✝. 8. legitur. *Audi, Fili mi, disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris tuae.* Quod de traditionibus Matris Ecclesiae interpretatus Epiphanius. Apostolus in prima ad Corint. cap. 10 ✝. 3. monstrans, se plura Corinthiis traditurum, quae in Epistola praetermittebat, inquit. *Caetera; cum venero disponam.* Hinc Sanctus Augustinus in epistola ad Januarium probat, ex Apostolica Traditione descendere, quod Eucharistia nonnisi a jejunis accipiatur, et ab Apostolis ordinatum esse, quod universa per orbem servat Ecclesia, neque ulla morum diversitate variatur. Idem Apostolus secunda ad Thessalonicenses, cap. secundo ✝. 15 ait. *Itaque fratres state, et tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* De quo testimonio Chrisostomus oratione quarta, ait. *Hinc est perspicuum, quod non omnia tradiderunt per epistolas, sed multa etiam sine scriptis, et ea quoque esse fide digna. Quamobrem Ecclesiae quoque traditionem censemus esse fide dignam. Est traditio, nihil quaeras amplius.* Et idem Apostolus ita alloquitur Timotheum epist. Secunda cap. primo ✝. 13. *Formam habes sanorum verborum, quae a me audisti bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum.* Quo in loco

traditiones apertissime commendare primo testatur laudatus Chrysostomus scribens in ea verba. *Non modo per literas, sed etiam verbis, discipulo, quae essent agenda dictavit: quod plurimis aliis in locis ostendit, dicens: Sive per verbum, sive per epistolam, quasi per nos missam. Ne igitur minus aliquid doctrinae habere putemus, plura illi absque scriptis tradidit, quae illi modo ad memoriam revocans, dicit: formam habe sanorum verborum, quae a me audisti.* Et revera quid est depositum, nisi doctrina per manus tradita, et quasi thesaurus alteri traditus, ut inquit Vincentius Lyrinensis cap. 27. Commonitorii? Ergo ex Scripturis ipsis constat, admittendam quoque esse Divinam, et Apostolicam Traditionem, et quidem ut alteram nostrae fidei regulam.

143. *Prob. quarto ratione Theologica.* Christus ipse novae legis auctor suam doctrinam non scripsit, sed voce docuit Apostolos. Et Apostolis non praecepit, ut doctrinam, quam ab ipso docti fuerant, literis mandarent, sed ut praedicarent per universum mundum omni creaturae. Si ergo praeceptum fuit praedicandi, non vero scribendi: ergo potiori, quasi dicerem, ratione, praeter verbum Dei scriptum, admittendum quoque est Verbum traditum, veluti altera fidei, et morum regula. Idque magis evicitur, si animadvertamus causam, cur Apostoli scripserunt. Sine dubitatione ipsi juxta Christi praeceptum, voce divinam doctrinam populos docuerunt. Ex divina postea providentia factum fuit, ut occasio ipsis praeberetur vel clarius explicandi doctrinam, quam voce tradiderant vel redarguendi, vel

dubia resolvendi ; et sic scripserunt. Quis ergo dicere audebit, quod praeter doctrinam scriptam, nulla alia fuerit voce tradita ? *Tandem.* omnibus Apostolis a Domino praeceptum fuit, ut Evangelium praedicarent, et omnes revera praedicaverunt. Sed non omnes scripserunt. Ubi ergo doctrina istorum ? Profecto reperitur in Divinis, et Apostolicis Traditionibus. Et propterea concludendum est, quod Traditio est altera fidei, et morum necessaria regula, quia est eadem doctrina revelata, ac illa, quae in Scripturis novi Foederis continetur.

144. *Prob.* tandem auctoritate Sanctorum Patrum. Superfluum sane videtur hoc alterum argumenti genus, quia si de fide est nostra Thesis, profecto communis est pro illa Patrum Sententia. Sed quoniam ex his nonnullos ad se trahere conantur Haeretici, eosdem proferre non piget, scilicet Irenaeum Tertullianum Epiphanium, et Basylium. Itaque Irenaeus primo ex traditionibus refutavit Gnosticos, et postea eosdem aggreditur cum Scripturis, dicens cap. quinto. *Traditione igitur, quae est ex Apostolis, sic se habente in Ecclesia, et permanente apud nos, revertamur ad eam, quae est ex Scripturis, ostensionem.* Tertullianus lib. de Corona cap. 4, pluribus commemoratis quae ad Baptismum, Eucharistiam, oblationes etc. pertinent, inquit. *Harum, et aliarum disciplinarum si legem expostulas Scripturarum, nullam invenies : Traditio tibi praetenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, et fides observatrix.* Epiphanius, ut legitur apud Petavium Theologia Patrum pag. 511. ita de Traditionibus loquitur. *Sed et Traditione quoque*

opus est ; neque enim ex Scripturis peti possunt omnia. Idcirco alia scriptis , Traditione alia Sanctissimi Apostoli tradiderunt : quod ipsum Paulus affirmat ; quemadmodum tradidi vobis. Tandem Basylius lib. de Spiritu Sancto ad Anphilochium ait. *Dogmata ; et instituta , quae in Ecclesiis praedicantur, quaedam habentur ex doctrina scripto tradita, quaedam rursus ex Apostolorum Traditione , quorum utraque parem vim habent ad pietatem; neque his quisquam contradicit sane , qui vel tenuiter expertus est , quae sint jura Ecclesiastica.* Inutilis ergo Haereticorum conatus , dum dictis Patribus abutuntur. Concludendum itaque etc.

Solvuntur Objectiones.

145. *Ob. primo.* Si Traditio aeque , ac Scriptura admitti deberet , veluti fidei , et morum regula, ipsa aeque , ac Scriptura , esse deberet doctrina divinitus revelata. Sed hoc dici nequit. Ergo etc. *prob. min.* Doctrina divinitus revelata , ut quae in Scripturis continetur , debet esse stabilis , certa , et invariabilis. Sed talis non est traditio , quoniam de aure in aurem transiens , in dies mutatur , uti experientia constanter docet. Ergo etc.

℟. *cum dist. min.* Talis non est traditio humana, *conc*; Traditio divina *neg. min.* Ridiculum prorsus est asserere , Divinas , et Apostolicas Traditiones mutationi esse obnoxias , nec eadem fide , ac diligentia servari posse in corde fidelium , qua in papyro servatur

altera doctrina divinitus tradita. Si providentiam , et sollicitudinem , quam de sua Ecclesia Christus gerit , Haeretici negabunt , nec traditum , nec scriptum Dei Verbum servatum iri , necesse est fateamur. Nam sicut illud in auribus disperdi , et in lingua vitiari potest ; ita istud potest ab amanuensibus adulterari , a tinea corrumpi , et injuria temporum depravari. Quod si providentiam divinam confiteantur Haeretici , ut confiteri debent , quoniam secus deficeret vera doctrina revelata , quam absolute necessariam demonstravimus , et vindicavimus in priori libro hominibus in praesenti statu constitutis , aeque , ac Scriptura , integra et invariabilis usque ad saeculorum finem in essentialibus servabitur Divina Traditio.

146. *C.* Atqui traditiones temporum intervallo , et rerum vicissitudine necessario mutari debent , quinimo et revera in Ecclesia mutatae sunt. Ergo n. r. *Prob.* Ecclesia nonnullas antiquavit Traditiones , ut de lacte , et melle porrecto Neophitis , de Eucharistia privatis in domibus ; de eadem sub utraque specie laicis quoque administrata ; et alias contra veluti Apostolicas de novo intrusit , ut jejunium quatuor temporum , sanctorum cultum , et Crucis adorationem. Ergo etc.

℟. *dist. ant.* Ecclesia nonnullas antiquavit traditiones etc. quae pertinebant ad solam disciplinam , et ritum , *conc.* ad fidei substantiam , *neg. ant.* Ergo etc, *n. cons*; Traditiones in argumento laudatas ad solam disciplinam , et ritum spectare dicimus , ideoque mutationi esse obnoxias , ut Scripsit Tertullianus in lib. de velandis Virginibus , cap. X. Ejusmodi sine dubitatione

fuit usus tribuendi baptizatis lac, et mel, qui ab aetate Hieronymi, ut liquet ex ejus Dialogo adversus Luciferianos, perduravit usque ad medium saeculum nonum, et nunc etiam perseverat apud Æthiopes. Idem dicendum de Eucharistia, quam ad privatas domus ferri coeptum est saevientibus persecutionibus, ne absque communione quis ex hac vita migraret. Communio autem sub utraque specie nec Apostolorum aetate, nec priscis saeculis semper servata fuit, et id non sine justa causa deinceps interdictum fuit. Sed quis non videt, istiusmodi traditiones non ad fidem, sed ad disciplinam pertinere, et propterea juxta circumstantias temporum mutationi esse obnoxias? Falsum autem omnino est, quod Romana Ecclesia novas intruserit traditiones. Etenim jejunium quatuor temporum sive a Victore, sive a Callisto institutum, eo sensu dicitur serm. 47. cap. 1. descendere ex Traditione Apostolica, quia ab Ecclesia, cujus ordinationes dici solent Apostolicae, in consuetudinem devotionis fuit receptum, ut idem Leo inquit; aut etiam quia Ecclesia fixos dies statuit jejuniorum, quae ab Apostolis fuerunt commendata. De Sanctorum cultu, et crucis adoratione sermo erit suo loco.

147. *Inst.* Ecclesia antiquavit veras Divinas, et Apostolicas Traditiones, et quidem illam de mille annis post resurrectionem futuris, quam veluti Apostolicam refert Papias, aliique non pauci antiquissimi Ecclesiae viri. Item rejecit illam, quam Irenaeus docet fuisse pariter Joannis Evangelistae, et aliorum Apostolorum, scilicet Christum Dominum, quo die mortuus est, fuisse quadraginta annorum.

℟. Ecclesia nunquam rejecit Divinas, et Apostolicas Traditiones, quinimo semper venerata est, et constanter retinuit. Quod si rejecit in argumento laudatas, rejecit ut falsas, et omnino veritati contrarias. De falsa traditione Papiae audiatur Eusebius, qui lib. tertio Ecclesiasticae historiae ait. *Papiam, ut qui exiqui sensus vir, et minus capacis esset, spirituales, et mysticas Apostolorum Traditiones corporaliter, et secundum literam suscepisse.* Eodem quoque modo Irenaeus potuit a Papia, et aliis discipulis Joannis decipi in aetate Domini Salvatoris: Credidit enim, nec discussit, an vera dicentibus crediderit. Caeterum quid mirum, si Ecclesia rejecit, veluti falsas, aliquas Traditiones, si veluti adulterinos rejecit quoque non paucos libros? Sicut ergo ad Ecclesiam spectat judicium ferre de libris divinis, et Canonicis, ita etiam de Divinis, et Apostolicis Traditionibus.

148. Plura Scripturarum testimonia non minus imperite, quam impie Novatores objicere solent ad rejiciendas Divinas et Apostolicas Traditiones. Et primo objiciunt illud Deuteronomii cap. quarto ℣. 2. *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex èo.* Secundo. Matthaei XV. ℣. 6. Christus Pharisaeos alloquens ait. *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras.* Ergo Christus reprobavit traditiones. Tertio. Paulus ad Galatas cap. primo ℣. 8. scribit. *Sed licet nos, aut Angelus de Coelo Evangelizet vobis, praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Quomodo ergo admitti possunt traditiones, si tam gravi poena damnantur ab

Apostolo ? Et jure quidem , nam teste eodem Apostolo ad Timotheum , ad fidem, et mores omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est. Ergo praeter Scripturas nihil aliud admittendum est.

149. ℟. *ad singula*. Et quidem ad primum dicimus , quod in Deuteronomio sermo non est de traditionibus , sed praescribitur Caeremoniarum , et Sacrificiorum exacta observantia , quam nihil immutando servare debebant levitae, nec non praeceptorum Domini inviolata custodia : nam statim additur. *Custodite mandata Domini Dei vestri*. Et cap. XII. ℣. ultimo. *Quod praecipio tibi , hoc tantum facito Domino : nec addas quidquam , nec minuas. Tantum*, dixit , ne Judaei in idolatrarum Regionem ingressi superstitiosos ritus sectantes , Religionem Idolorum cultu commacularent. Deinde si adductis verbis vetitum fuisset alia tradere, cur Judaei prophetarum vaticinià postea receperunt? Cur et nos recipimus Evangelia , et tot Apostolorum Epistolas , quae omnia tanto post Deuteronomium tempora scripta fuere ? Cur etiam novi instituti dies festi , quos sacrae Judith , Esteris , et Machabaeorum commendant historiae ?

150. Ad secundum dicimus , quod nos quoque Pharisaeorum traditiones reprobamus ut spurias , et ineptas, ut fabulosas , et etiam Divinis praeceptis contrarias. Quaedam enim Pharisaei servabant ex continua a Moyse derivata disciplina , quaedam autem ex institutis praesertim Hillel, unde originem duxerunt. Traditiones prioris generis perutiles erant; aliae vero iniquae , vel superstitiosae. Illae ab universa Synagoga , exceptis Sad-

ducaeis, recipiebantur; istae vigebant in sola Pharisaeorum secta, et quas Christus reprobavit, dicens *irritum fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras.*

151. Ad tertium dicimus, Apostolum in Epistola ad Galatas loqui de illis, qui contendebant, cum lege Christi jungendam esse Circumcisionem, et caeteras caeremonias, ut illius Epistolae argumentum clare evincit. Ergo ℣. 8 particula *praeter* idem significat, ac contra quam. Unde sensus est. *Si licet nos etc. evangelizet vobis contra, vel ultra, quod Evangelizavimus vobis, anathema sit.* Unde Augustinus contra Faustum lib. secundo cap. 22 scribit. *Longe aliud annuntiat Faustus, aliud Paulus; sed quoniam quisquis vobis evangelizaverit, praeterquam quod accepistis, anathema sit; verum dicit Christus in Paulo, anathema sit Manichaeus in Fausto.*

152. Ad ultimum. Recte Apostolus ad Timotheum appellat Scripturam idoneam, et perutilem; at non ait, Scripturam solam sufficere. Nam in eadem Epistola secunda ad Timotheum cap. quarto ℣. 11. Marcus dicitur utilis ad ministerium, nec tamen supervacanei erant Lucas, Titus, et Timotheus: utilis est cibus ad nutriendum, nec tamen rejiciendus est potus. Ex his omnibus clare patet, quam inscite, et impie Scripturis abutuntur Novatores ad Apostolicas Traditiones impugnandas.

153. Ad hanc ipsam impugnandam non erubescunt Novatores in sui auxilium invocare non paucos Sanctos Patres, et praesertim Cyprianum, et Chrysostomum: primus, dicunt, in epistola 75. ad Stephanum in qua

ad illam pontificis sententiam. *Nihil innovetur, nisi quod traditum est*, respondit. *Unde est ista traditio? ea facienda esse, quae scripta sunt, Deus testatur.* Secundus ait in psalmum 96. *Si quid dicitur absque Scriptura, auditorum cognitio claudicat.* Ergo etc.

R. Cyprianus laudato in loco arbitrabatur, traditionem a Stephano allatam commentitiam esse, et Scripturis repugnantem, et propterea ad Sacras literas provocabat. Id clare patet, ex quo sub finem ejusdem Epistolae aperte Divinas, et Apostolicas Traditiones recipit, dicens *parati sunt autem recipere traditionem Apostolicam, si in aliquo vacillaverit veritas.*

154. Ad Chrysostomum quod spectat, in laudato loco iste Sanctus Pater illos vellicat, qui sacras conciones profana tantum eloquentia, aut ex suo cerebro ratiocinationes effingunt, sine testibus, solaque naturali ratione innixi: in quorum lapidem impingunt tam qui paradoxa eructant, quam ii, qui e suggesto nihil crepant, nisi Tullium, et profanos oratores.

155. Sed cum infinita propemodum sint Sanctorum Patrum testimonia, quae obtrudere solent Novatores, juvat hic aliquas tradere regulas ad omnia explicanda. Itaque prima regula est: Dum Patres ad solas Scripturas provocant Haereticos, id efficere, quia in subjecta materia ad illorum errorem refellendum solae scripturae sufficiunt, postquam per Traditionem jam assecuti sumus Scripturarum Canonem, et sensum. Ita Irenaeus Scriptura revincit Marcionem, Tertullianus Hermogenem, atque Athanasius oratione tertia contra Arianos inquit, Scripturis comprobari Verbi Divinitatem.

Secunda regula est, ut dicta Patrum intelligantur de Scripturis rite explicatis juxta sensum, quem tenet Romana Ecclesia, ut docet Cyrillus catechesi quarta scribens. *Disce ab Ecclesia, quinam sint Veteris Testamenti libri, quinam Novi, ne leges, institutaque Patrum evertas.*

Tertia regula est, ut distinguantur ea, quae ab omnibus promiscue credenda sunt, ut Deum esse unum, et Trinum, Verbum hominem factum etc., ab iis, quae custodiuntur ab Ecclesia, ejusque Rectoribus, ut quinam sint libri canonici, quaenam sit Traditio perantiqua.

Postrema regula est, ut dum nihil, praeter Scripturas, probandum asserunt, et solam sacrorum librorum exigunt auctoritatem, eos loqui intelligamus sive de quaestionibus obscurissimis, quae traditione nequeunt resolvi; sive de hominibus in sacris disciplinis nudo, et infirmo ratiocinio utentibus; sive de novitate dogmatum innixa libris spuriis, et suppositis; sive tandem, cum Haeretici falsis traditionibus aliquam veritatem oppugnant, quae solis Scripturis, optime revinci potest.

Tandem pro facili, et prompta solutione earum cavillationum adversariorum, quibus dicunt, nonnullas traditiones in Ecclesia fuisse antiquatas, notandum, quod sicut non omnia, quae literis tradiderunt Canonici Novi Foederis Scriptores, ad fidem, et mores pertinent, sed nonnulla etiam ad disciplinam, quae juxta varias circumstantias mutationibus sunt obnoxia, idipsum dicendum de traditionibus: et idcirco mirum non esse, si nonnullas forsan hujus generis, aut immutatas, aut antiquatas fuisse.

PARS TERTIA.

DE ECCLESIA.

156. Ecclesiae nomen varia significatione sumitur. Et quidem primo sumitur pro quacumque hominum unione, et societate, etiam profanorum, et impiorum: ut in psal. XXV. *Odivi Ecclesiam malignantium.* Sed apud Theologos Ecclesiae nomine designatur congregatio hominum ad Religionis cultum Deo tribuendum. Hujusmodi congregatio in veteri lege vocabatur Synagoga, nunc apud nos proprie Ecclesia dicitur; licet locus quoque in quo fit adunatio, Ecclesia dicatur, sicut dicebatur Synagoga apud Judaeos. Hoc modo accepta Ecclesià, alia dicitur triumphans, nempe coetus hominum, qui jam de mundo triumpharunt, et nunc in Coelesti gloria aeternis laudibus Deum colunt; alia patiens, nempe fideles, qui ad tempus in purgatorio detinentur ad suas maculas expiandas; et tandem militans, nempe evocatio fidelium, qui sub legitimo capite in hoc mundo simul conveniunt ad dignum Religionis cultum Deo praestandum. Et haec quidem vel partialis est, ut unius Civitatis, Regni, et etiam familiae, ut scripsit Apostolus ad Romanos cap. XVI. ✝. 3. *Salutate priscam, et Aquilam . . . et domesticam Ecclesiam eorum*: vel universalis, quae cunctos amplectitur fideles per totum orbem dispersos, qui unitate fidei Christianae sub uno legitimo capite, Deo inserviunt. Ecclesia hoc sensu accepta objectum est nostrarum Institutionum.

157. Et quoniam maxime interest nosse veram naturam, et essentiam rei, de qua sermo instituitur, id quod per definitionem consequimur; inde ex definitione exordiamur oportet. Itaque illam sic cum Bellarmino definimus. *Ecclesia est coetus hominum unius et ejusdem fidei Christianae professione, et eorumdem Sacramentorum comunione adunatus, sub regimine legitimorum Pastorum, ac praecipue Romani Pontificis Christi Vicarii.*

158. Quia allata definitio directe evertit praecipuum Novatorum errorem, quo nempe sustinent, Ecclesiam Christi esse invisibilem, sive quia ex solis praedestinatis, sive saltem ex solis justis conflatur, ideo contra regulas disceptandi non potest inter nos, et illos convenire de Ecclesiae definitione. Quinimo quia ex hac definitione tota res pendet, idcirco omnes vires Heterodoxi intendunt ad illam rejiciendam. Praecipua illorum ratio est, quod non secus ac fides, spes quoque et charitas constituunt Ecclesiae naturam, et essentiam; quapropter spei quoque et charitatis contendunt, mentionem fieri debere in Ecclesiae definitione.

159. En malitiosa impietas. Nusquam ita certi esse poterimus de vera Christi Ecclesia: primo quia non est necesse, ut spes, et charitas actu reperiantur in omnibus Ecclesiae membris: secundo, quia ipsae sunt qualitates occultae, et propterea occultam facerent Ecclesiam, quod quam falsum, et erroneum sit, nunc nunc videbimus. Non negamus tamen, spem, et charitatem esse qualitates necessarias in Ecclesia; sed quia non semper necessario requiruntur in actu, et in quovis in-

dividuo, propterea in definitionem ingredi non possunt, quia per definitionem exprimi debet rei essentia, qua nunquam res privari potest.

160. Sed non moramur hac in re, quia veritas, et rectitudo nostrae allatae definitionis apparebit ex confutatione errorum, quos ut omnes profligemus, hanc doctrinam de Christi Ecclesia in plura capita dividimus. In primo agemus de praecipuis Ecclesiae proprietatibus, scilicet de visibilitate, de perpetuitate, et de infallibilitate. In secundo videbimus, quinam ad Ecclesiam veluti illius membra pertinent. In tertio sermo erit de notis, sive characteribus, quibus vera Christi Ecclesia ab aliis illegitimis sectis distinguitur. In quarto demonstrabimus falsas Novatorum sectas. Et in quinto tandem concludemus de veritate solius Romanae Ecclesiae unionis.

CAPUT PRIMUM.

De Praecipuis Ecclesiae proprietatibus.

161. Praecipuae, et maxime necessariae Ecclesiae proprietates tres communiter numerantur, scilicet ut sit visibilis, ut deficere non possit usque ad saeculorum finem, et ut errare nunquam possit in iis, quae ad fidem et mores pertinent. Protestantes, ut asserant suam Ecclesiam ante Lutherum jam extitisse, eamque invisibilem, duplicem distinguunt Ecclesiam, alteram veram, et proprie dictam, quae ex solis constat Praedestinatis, et propterea est invisibilis; et alteram impro-

prie dictam, quae ex bonis simul, et malis coalescit hominibus, et quae proinde visibilis est. Contra ipsos itaque sit nostra de fide

PROPOSITIO XII.

Ecclesia Christi vere, et proprie dicta visibilis est; unde et a falsis sectis discerni potest.

162. *prob.* primo ex Scripturis. Semper ac in Scripturis sermo est de Ecclesia, nec ulla ratio est, cur suspicari possimus, non proprie, sed figurate accipienda esse verba, Ecclesia describitur, ut coetus hominum visibilis. Ergo visibilis dicenda est. *prob. ant.* Christus de Ecclesia loquens, illam assimilat modo sagenae missae in mare, et omni genere piscium congreganti Matth. XV. ✝. 47. modo convivio nuptiali, ad quod qui vocati fuerunt et bene, et male vestiti erant; ibidem cap. XXII. modo decem virginibus, quarum partim erant prudentes, et partim fatuae ibidem cap. XXV.; et modo ovili, in quo agni cum ovibus admixti sunt. Sed haec omnia indicant, Ecclesiam esse coetum hominum bonorum simul, et malorum ita, ut ipsi inter se secerni possint. Ergo etc.

163. Id maxime confirmatur ab Apostolo, qui monens Ephesinae Ecclesiae Episcopos ait Actorum cap. XX. ✝. 28. *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Numquid ab Episcopis regi, et gubernari potest, quod visibile non est? Quin et idem

Apostolus ad Hebraeos cap. XIII. ℣. 17. *Obedite praepositis vestris, et subjacete illis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Quid clarius? Forsan subjici possumus, et obedire praepositis, qui non videntur? Tandem Ecclesia Christi est quoddam corpus morale, in quo caput, et membra, pastores et subditi esse debent, et propterea qui imperant, et qui obediunt; qui corripiunt, et qui puniuntur. Et quidem Matthaei cap. XVIII. ℣. 17. Christus praecipit adiri Ecclesiae praefectos, quoties privata fratrum correptio nihil proficit propter contumaciam delinquentis. *Dic Ecclesiae: Si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut Ethnicus, et Publicanus.* Ergo dicendum etc.

164. *prob.* breviter naturali ratione. Christus suo sanguine fundavit Ecclesiam, ut tutus esset salutis portus omnibus Adae posteris. Sed quomodo in hujusmodi portum intrare, ibique ab aquilonibus tuti esse possent homines, si invisibilis ille esset, si a scopulis, et syrtibus non posset discerni? Concludendum igitur etc.

Solvuntur Objectiones.

165. *Ob. primo.* Paulus ad Hebraeos cap. XII. ℣. 18. Christi Ecclesiam vocat invisibilem; ait enim. *Non accessistis ad montem tractabilem, et accessibilem ignem* Et ℣. 22. *Sed accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Jerusalem coelestem, et multorum millium Angelorum frequentiam.* Ergo vera Christi Ecclesia est invisibilis.

R. admitt. auctoritatem, et distin. sensum. Et ibi Apostolus loquitur de Ecclesia militanti, *nego*, de Ecclesia triumphanti, *concedo*. Ergo etc. *n. cons.* Itaque in objecto testimonio Paulus loquitur non de terrena Ecclesia, sed de monte coelesti, et civitate Dei viventis, ad quam per fidem, spem, et charitatem tendimus. Et id evidenter apparet ex verbis, quae subdit Apostolus. *Et multorum millium Angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in Coelis.*

166. *C.* Atqui allata Pauli verba intelligenda sunt potius de Ecclesia militanti, quam triumphanti: Ergo etc. *prob.* Ecclesia militans ex Apostolo Petro in Epistola prima, cap. secundo ℣. *5.*, est domus Spiritualis. *Et ipsi tamquam lapides vivi superaedificamini, domus Spiritualis.* Sed quod est spirituale, nec tractabile, nec accessibile est. Ergo dicens Apostolus. *Non accessistis ad montem tractabilem, et accessibilem ignem*, loquitur de Ecclesia militanti.

℟. *Neg. maj.* Petrus non vocat Ecclesiam domum spiritualem, quasi incorporea illa sit, et invisibilis; est enim Coetus hominum viatorum adunatus ad dignum Religionis cultum Deo tribuendum: sed quia spiritualia, divina caelestia, et aeterna promovet, scilicet divinum cultum, ex quo spiritualia, et caelestem felicitatem expectamus.

167. *C.* Atqui revera Ecclesia militans non tractabilis, et accessibilis est juxta allatum testimonium Pauli ad Hebraeos Ergo etc. *Prob.* In Symbolo profitemur. *Credo Sanctam Ecclesiam.* Sed quod creditur, nec tractabile, nec accessibile est. Ergo etc.

℟. *Dist. min.* Quod creditur, nec tractabile etc. ex ea parte, qua creditur, *conc.*, ex omni parte, *n. min.*, *et cons.* Itaque Christi Ecclesiam et videmus, et credimus. Videmus, quia est Coetus hominum, qui ad verum Religionis cultum Deo praestandum congregantur; credimus autem, quia pro certo habemus, hujusmodi Coetum hominum a Christo fuisse institutum, veram Christi doctrinam profiteri, et a Spiritu Sancto, regi, et vivificari, quae omnia certe non videmus. Concludendum etc.

168. *Inst.* Christus Lucae cap. XVII. ℣. 20 de Ecclesia loquens ait. *Non venit regnum Dei cum observatione.* Ergo Ecclesia invisibilis est.

℟. In allato loco Christus non loquitur de Ecclesia, sed de Messiae adventu, ut patet ex illis, quae in toto allato capite sequuntur. Et quoniam Judaei illum expectabant in magna gloria et imperio, idcirco Christus Pharisaeis interrogantibus, quando venisset regnum Dei respondit. *Non venit regnum Dei cum observatione.*

169. *Ob. secundo.* Ecclesia est mysticum Christi corpus. Sed nefas est dicere, aliquam Christi Corporis partem mortuam esse et putridam. Ergo Christi Ecclesia constat ex solis Praedestinatis, et propterea invisibilis est.

℟. *Dist. min.* Nefas est etc. si sermo sit de vero et reali corpore *conc.*; de Mystico et figurato, *n. min. et cons.* Christus suo sanguine humanum genus redimens ex aeterna servitute, regnum sibi acquisivit, cujus subditi illi sunt, qui ejus doctrinam sectantur, et istorum Coetus dicitur Ecclesia, et dicitur quoque Mysti-

cum Christi corpus. Quod iste Coetus, ista Ecclesia, istud Mysticum corpus sanctum sit, id evincitur ex sanctitate doctrinae, quam profitetur, ex caelesti fine, quem sibi proposuit, scilicet dignum Religionis cultum Deo praestandi etc. Sed assequentur ne omnes hunc finem? Sunt ne actu omnes individui Sancti? Non quidem. Et ratio est, primo quia per gratiam non destruxit Deus liberum arbitrium in homine, ita ut necessario quisque Dei finem assequi debeat, sed assequentur, qui libere cooperantur ponendo bona opera. Secundo quia reipsa Christus suam Ecclesiam modo assimilavit decem virginibus, quae non omnes erant prudentes; modo sagenae missae in mare, et modo agro, in quo cum tritico erat superseminatum Zizanium, quod et cum tritico crescebat.

170. *C.* Atqui nullatenus Ecclesia constare potest ex non praedestinatis. Ergo etc. *Prob.* Ecclesia, et consequenter omnes partes illius, dicitur sponsa Christi, et pro tali Christus habet. Sed nefas est dicere, sponsam Christi, aut aliquam partem ejus, non esse sanctam, neque praedestinatam, sed improbam, et aeternis suppliciis addictam. Ergo etc.

℟. Utique Ecclesia dicitur Christi sponsa, et utique in se propter fidem, quam profitetur, et finem, quem sibi proposuit, tota sancta est et pulchra. Sed tamen quia, ut jam dixi in superiore responsione, per gratiam non ablata est humana libertas; idcirco aliqui deficiunt, et dum ad Ecclesiam pertinent militantem, participes non erunt Ecclesiae triumphantis. Omnes milites ad exercitum suum revera pertinent, sed non omnes

victoriae praemium accipient, sed ii tantum, qui strenue certaverint.

171. *C.* Sed ad Ecclesiam nonnisi soli praedestinati pertinent. Ergo etc. *Prob.* Christi Ecclesiae typus fuit arca Noe. Ergo sicut in arca illi tantum inclusi fuerunt, qui ab aquis diluvii salvi fieri debebant; ita nonnisi praedestinati includuntur in Ecclesia.

℟. Arca Noe non in omnibus, sed in aliquibus solum fuit typus Ecclesiae, et praecipue in duobus. Primo, quod maxime favet nobis, sicut in arca fuerunt animalia munda et immunda, ita in Ecclesia sunt Praedestinati, et reprobi. Secundo, quod sicut omnes, qui extra arcam fuerunt, perierunt, ita et pereunt omnes, qui sunt extra Ecclesiam.

172. Quoad alteram Christi Ecclesiae proprietatem, quod scilicet deficere non possit, fortasse nullus ex Haereticis ausus est asserere, Ecclesiam aliquando omnino defecisse. Sic Donatistae, qui Ecclesiam ubique defecisse jactitabant, dicebant tamen, licet ex opposito, illam mansisse in Africa apud Sectatores Donati. Sic etiam dicebat Berengarius. Sed Novatores, qui duplicem asserunt Ecclesiam, scilicet proprie dictam, eamque invisibilem, et alteram improprie dictam et visibilem; illam dicunt indefectibilem omnino, hanc autem non ita; quinimo et aliquando vere defecisse dicunt. Contra ipsos ergo sit nostra de fide

PROPOSITIO XIII.

Visibilis Christi Ecclesia deficere non potest.

172. *Prob. primo* ex veteri Testamento. Plura habemus ex veteri lege testimonia, ex quibus clare eruitur perpetuitas visibilis Christi Ecclesiae: sed duo tantum nos seligimus. Primum est illud Michaeae cap. IV. ✝. 1. *In novissimo dierum erit mons domus Domini, praeparatus in vertice montium, et sublimis inter colles, et fluent ad eum populi.* Quis non agnoscit hic visibilem Ecclesiam Christianorum? Sed videamus quandiu erit duratura. *Nos autem (ibidem ✝. 5.) ambulabimus in nomine Domini nostri in aeternum.* En perpetuitas usque ad saeculorum finem. Alterum non minus clarum testimonium habemus ex Psalmo 47 ✝. 9. in quo primo habemus Ecclesiae visibilitátem hisce verbis: *Sicut audivimus, sic vidimus in Civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri.* Et sequitur deinde ejusdem perpetuitas. *Deus Fundavit eam in aeternum.* Ergo Ecclesia Christi visibilis deficere non potest.

174. *Prob. secundo* ex novo Testamento. Et quidem primo Christus apud Matth. cap. XXVIII. ✝. 20 loquens de Ecclesia, et quidem visibili, sic eidem in aeternum suam adpromisit assistentiam. *Ecce ego vobiscum sum usque ad consumationem saeculi.* Secundo idem Christus apud eumdem Matthaeum cap. XVI. ✝. 18. Petrum alloquens ait. *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non*

praevalebunt adversus eam. Clarissime hic asseritur Ecclesiae perpetuitas, et nullum tamen dubium esse potest, quin loquatur Christus de Ecclesia terrestri, et visibili. Idipsum tertio evincitur ex tot parabolis Christi, quod scilicet ipsa eadem Ecclesia visibilis perduratura sit usque ad saeculorum finem. Sic zizanium futurum est in agro cum tritico usque ad messem: in sagena pisces mali erunt simul cum bonis usquedum trahatur in terram: paleae cum frumento erunt in area donec istud congregetur in horreum, et ipsae igni tradantur comburendae ec.

175. Hoc ipsum, et quidem clarius, habemus ex Apostolo Paulo primo in prima ad Timotheum, ubi cap. tertio v. 15 ait. *Ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi: columna et fimamentum veritatis.* Hic loquitur Apostolus de Ecclesia, in qua erat Timotheus: ergo erat visibilis: asseritur columna, et firmamentum veritatis: ergo nunquam deficere poterit. Secundo idem Paulus ad Ephesios cap. IV. ℣. 11. ait. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, alios Prophetas, alios Evangelistas, alios Pastores, et Doctores . . . Donec occurramus omnes in unitatem fidei ec.* Ergo visibilis Christi Ecclesia ministerio Pastorum duratura erit usque ad mundi finem.

176. *Prob. tandem naturali ratione.* In priori libro ad evidentiam usque demonstravimus, doctrinam revelatam absolute necessariam esse, quoniam secus nec duplex finis, quem sibi Deus proposuit in mundi creatione, verificari posset, nec finem suum assequerentur

homines. Inde conclusum fuit de facto existere Religionem revelatam, quae, quia a Deo, vera esse debet in omnibus suis partibus; nec propterea opponi potest Religioni naturali, quae, est vera Dei lex scripta in cordibus nostris. Sed sola Religio Christiana, praeterea nulla alia, in nihilo contradicit Religioni, et legi naturali. Ergo si sola christiana Religio vera est, in qua verus Religionis cultus Deo praestatur, quo duplicem finem ipse assequitur; dicendum, quod si repugnat Deum sapientissimum, et Omnipotentem non assequi suum finem, repugnat quoque Religionem Christianam non perseverare usque ad saeculorum finem. Paucis verbis. Repugnat non existere veram et Divinam Religionem. Sed sola Religio Christiana vera est. Ergo repugnat ut Christi Religio ullo modo deficiat. Sed ipsa reperitur, et servatur in sola visibili Ecclesia. Ergo repugnat visibilem Christi Ecclesiam deficere posse.

Solvuntur objectiones.

177. *Ob. Heterodoxorum.* Theologi Romanae communionis visibilem Christi Ecclesiam deficere non posse repetunt praesertim ex Christi promissionibus Matth. cap. XVI. *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Sed promissiones istae non pro semper accipiendae sunt, sed pro dato tempore potius. Ergo etc. Et probatur. Similes promissiones factae fuerunt Synagogae, ut habemus praesertim Exodi cap. XXIX. ✠. 9. *Eruntque Sacerdotes mihi religione perpetua.* et ✠. 42. *Sacrificium et Domino oblatione perpetua*; Et nihilominus Synagoga omnino defecit. Ergo similiter deficere potest Christi Ecclesia.

R). Quaecumque promissio facta legitur Synagogae, non pro semper, sed ad tempus tantum facta fuit, quibuscumque verbis fuerit significata. Et quidem si Synagoga erat typus, et figura Ecclesiae Christi; si tota antiqua lex, Religio, et Sacramenta suam vim recipiebant a nova gratiae lege, a Christi Redemptione, a Sacramentis a Christo institutis; sine dubitatione Synagoga cum omnibus suis institutionibus cessare debebat, adveniente figurato, adveniente nova lege, et nova Ecclesia. Et id bene agnoscebant Hebraei, quoniam expectabant, sicut et adhuc expectant, Messiam et Redemptorem. Ergo et bene quoque agnoscere debebant, Dei promissiones in negotio Religionis non pro semper vere ab ipsis accipiendas esse. Sed jam adimpleta sunt omnia, jam advenit Messias, jam plene satisfactum est justitiae Divinae, jam fundata, et stabilita est vera Ecclesia, quam Divinus ipse auctor Christus apertis, et praecisis verbis dicit permansuram usque ad mundi finem; quomodo ergo fas erit dubitare de perpetuitate ejusdem visibilis Christi Ecclesiae?

178. *C.* Atqui revera ad tempus, et non pro semper Christus suae Ecclesiae promisit stabilitatem. Ergo etc. *prob.* Ecclesia revera defecit tempore Concilii Ariminensis secundi circa annum 359; Etenim Coetus ille Episcoporum rejecit ex symbolo fidei vocem *Homousion*, consubstantialem, quam tanto zelo apposuerant Patres primi Concilii Nicaeni anno 325 contra perfidiam Arianorum: unde Hieronymus in lib. adversus Luciferianos ait. *Orbis totus ingemuit, et miratus est se repente factum esse Arianum.* Sed id essentialiter

ad fidem pertinebat. Ergo revera tunc defecit Christi Ecclesia.

℟. Nihil prorsus ab allato Ariminense Concilio concludi fas est contra nostram thesim. Itaque praetermissa violentia ibi facta a Constantio Imperatore acerrimo fautore Arianorum, dicimus primo, quod Concilium illud non fuit oecumenicum, et idcirco universam Ecclesiam non repraesentabat: secundo, idem non fuit confirmatum, quinimo fuit rejectum a Liberio Romano Pontifice; Ergo quamvis concedatur illud totum in fide errasse, quia tamen universam non repraesentabat Ecclesiam, quae stare non potest sine universali Capite, sed ad summum, si recte processissent caetera, Ecclesiam particularem; ideo Ecclesia universalis firma stetit in fide Nicaena. Et requidem vera firma stetit Ecclesia Romana cum Pontifice Liberio; firma stetit Gallicana, cum Hilario Pictaviense; et firmi steterunt omnes alii sanctissimi, et doctissimi Praesules, praesertim Monachi, et tanto zelo omnes pugnarunt pro fide Nicaena, et voce *Homousion*, ut multi non perterriti minis impii Imperatoris, potius relegati fuerunt, quam mutaverint sententiam. Quomodo ergo dici potest, quod ex hoc facto Ecclesia universa defecit? Sed et adde, quod vulgo Theologi, et Critici negant Episcopos Ariminenses revera ab orthodoxa fide defecisse, sed tantum fuisse deceptos, cum bona fide vocabulum Homousion suppresserunt. Ipsi enim pro bono pacis, praetermissa formula Nicaena se subscripserunt alteri, quam subdole proposuerunt Episcopi Ariani, et in qua nulla manifestae haeresis suspicio apparebat. Ergo non fidei prodi-

tores illi Patres dicendi sunt, sed potius imprudentes, qui ab Arianorum fraudibus decepti fuerunt.

179. *C.* Atqui Christi promissiones non adeo firmae habendae sunt, ut usque ad mundi finem Ecclesia deficere non possit. Ergo etc. *prob.* Christus apud Lucam cap. XVIII. v. 8. praedixit, Ecclesiam defuturam esse ante sui adventum hisce verbis. *Verumtamen Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* Quod et Apostolus confirmat in epistola secunda ad Thessalonicenses cap. 2. ubi ait, ante judicii diem futuram discessionem, scilicet universalem apostasiam. Ergo etc.

℟. *neg. ant.* Non ait Christus. *Filius hominis non inveniet fidem.* bene vero *putas inveniet fidem in terra?* Quod non significat deficientiam omnimodam fidei, sed quod frigescet potius, et rarior fiet. Et revera ipse idem Christus apud Matth. cap. XXIX. ℣. 22. expresse dicit, tunc esse electos. *Propter electos breviabuntur dies illi.* Ergo si prope adventum Domini extabunt justi, nullimode tunc deficere poterit omnis fides. Et hoc ipsum dicendum de discessione, quam praedicit Apostolus. Sed miramur quomodo haec objici possunt a Novatoribus. Si discessio erit universalis, si fides omnino deficiet, quomodo stare poterit illorum sententia de perpetua stabilitate Ecclesiae invisibilis? Dicendum ergo etc.

PROPOSITIO XIV.

Visibilis Christi Ecclesia non potest falli in docendo quae ad fidem, et mores pertinent.

180. Priusquam demonstretur praesens nostra thesis, quae est de fide, notandum, quod dum quasi eadem videtur cum superiore, in qua tuebamur Christi Ecclesiam deficere non posse, diversa tamen est. Duplex fas est distinqui visibilis Christi Ecclesia, altera credens, docens altera. In superiori Thesi propugnavimus universam Christi Ecclesiam credentem deficere non posse, hoc est, veram Christi fidem firmam permanere usque ad mundi finem; et nunc tuemur Ecclesiam docentem, hoc est totum Coetum Doctorum, et Pastorum errare non posse in proponendo et docendo fidei dogmata Ecclesiam credentem et id etiam quoad mores. Verum quidem, quod duae istae Ecclesiae proprietates perpetuitas scilicet, et infallibilitas adeo inter se conjunctae sunt, ut deficiente una, necesse sit, ut deficiat altera; sed tamen diversae sunt inter se. Quibus notatis.

181. *Dem. primo.* Ex superiori Thesi visibilis Christi Ecclesia credens non potest deficere; hoc est non potest a vera fide prorsus errare. Sed si posset errare in docendo, necessario quoque erraret in credendo. Ergo etc. *prob. min.* Ex Apostolo ad Romanos cap. X. v. 17, fides est ex auditu: scilicet non credimus, quod videmus, aut quod humana ratione cognoscimus, sed quod audimus, et docemur. Ergo si in fide erraret tota Ecclesia do-

cens, universa et docens, et credens simul necessario erraret.

182. *prob.* secundo ex Scripturis. Joannis cap. XIV. ℣. 16 Christus alloquens Apostolos ait. *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum Spiritum veritatis.* Et ℣. 26. *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.* Et Matth. cap. XXVIII. ℣. 19. *Euntes ergo docete omnes gentes . . . Docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi.* Profecto allata verba non solum dicta intelligi debent Apostolis, sed etiam omnibus, post illos, Ecclesiae Doctoribus, primo, quia Christus loquitur in favorem suorum Sectatorum, et Ecclesiae, quam acquisiturus erat suo sanguine: Secundo, quia sic indicant verba *maneat vobiscum in aeternum* usque ad consummationem saeculi. *Si ergo ex allatis testimonijs Spiritus Paraclitus, Spiritus veritatis erit in aeternum cum Doctoribus Ecclesiae: si ipse Christus, qui est Verbum consubstantiale Patris, cum iisdem Doctoribus erit usque ad consummationem Saeculi; quomodo visibilis ejus Ecclesia docens errare poterit in tradendis fidei, et morum veritatibus? Numquid falli, aut mentiri poterit Deus?*

183. Sed revera Christus sua promissa adimplevit. Etenim Apostolus in prima ad Timotheum cap. III. ℣. 15 ait. *Haec scribo tibi, ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est Ecclesia*

Dei vivi: columna et firmamentum veritatis. Si ergo de facto visibilis Christi Ecclesia est columna veritatis, de facto ipsa veritas Christus, et Spiritus Sanctus cum Ecclesia est, et erit usque ad saeculorum finem.

184. Tandem Matth. cap. XVI v. 18. Christus loquens de Ecclesia dixit. *Et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Sed in quo non praevalebunt? Numquid in non persequendo, et vexando? Quin et nimis vexarunt. Ergo in hoc non praevalebunt, quod scilicet cum persequentur, et vexabunt, non praevalebunt, non debellabunt. Sed Ecclesiae essentia, presertim reposita est in fide, quae habetur ex auditu, et magisterio. Ergo visibilis Christi Ecclesia nunquam deficiet in docendo fidei, et morum veritates.

185. *Prob.* tertio auctoritate Sanctorum Patrum, quorum omnium instar audiatur Doctor Maximus Augustinus lib. primo contra Cresconium Grammaticum, et Donatistam cap. 33. *Scripturarum (ait) a nobis tenetur veritas, cum id agimus, quod universae jam placuit Ecclesiae, quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas, et quoniam ipsa Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit alicujus obscuritate quaestionis, eamdem Ecclesiam de illa consulat, quam sine ambiguitate Sancta Scriptura demonstrat.* Et clarius in libello de haeresibus ad Quod vuld eum cap. ultimo. *Cur contra ista sentiat Ecclesia Catholica, superflue quaeritur cum propter hoc scire sufficiat, eam contra ista sentire.* Quin et pervulgatum est ejusdem dictum lib.: contra Epistolam Fundamenti Manichaei: *Evangelio non crederem, nisi*

me Catholicae Ecclesiae moveret auctoritas. Et merito quidem, nam ablata infallibili Ecclesiae auctoritate, nullimode certi esse poterimus de genuitate Evangelii.

186. *Prob.* tandem eadem ratione, quam saepe attulimus. Si Ecclesia Christi ut docens falli, ac fallere posset in proponendis fidei, et morum veritatibus, profecto cum in ipsa sola verus Religionis cultus Deo tribuatur, uti in priori libro demonstratum fuit, sine dubitatione iste quoque cultus deficeret.Sed hoc repugnat, quoniam fieri nequit, ut frustretur finis, quem Deus sibi proposuit in mundi creatione, ut ibidem propugnavimus. Ergo etc.

Solvuntur Objectiones.

187. *Ob.* In veteri lege aliquando omnes Doctores, qui erant Prophetae, defecerunt. Ergo vel falsum, quod deficere non potest verus Religionis cultus erga Deum, vel falsum quod deficit, deficientibns omnibus Doctoribus, et Pastoribus. Et consequenter etiam in nova Evangelii lege Ecclesia deficere potest in docendo fidei veritates. *Prob. ant.* In lib. tertio Regum cap. XXII ℣. 6. omnes prophetae aberrarunt, et quidem ad numerum quadrigentorum. Ergo etc.

℟. In citato loco non dicitur veros Prophetas Domini errasse, sed errasse omnes Pseudoprophetas. Et quidem cum Iosaphat rex Iuda dixisset ad Achabum regem Israel ℣. 7. *Non est hic propheta Domini quispiam, ut interrogemus per eum ?*

Achab respondit ℣. 8. *Remansit vir unus, per quem possumus interrogare Dominum : sed ego odi eum,*

quia non prophetat mihi bonum, sed malum, Michaeas Filius Jemla. Ergo non veri, sed falsi prophetae errarunt praedicentes prospera Regni Israel, qui tamen occisus est, juxta praedictionem veri Prophetae Michaeae: et sic pariter errant falsi doctores Novatorum, at nunquam omnes, qui regunt et docent veram Christi Ecclesiam.

188. *C.* Sed omnes Doctores, etiam Ecclesiae Catholicae, quam solam Papistae jactitant veram, errare possunt in docendo fidei, et morum veritates. Ergo etc. *Prob.* Inter ipsos Romanae Ecclesiae Theologos convenit, quod quivis ex doctoribus errare potest. Si quivis seorsim, cur non omnes simul?

℟. *Negando illationem.* Ratio disparitatis est, quia deficiente quolibet seorsim, non deficit tota Ecclesia, sicut deficeret si deficerent omnes simul, quoniam nulla tunc esset vera doctrina revelata, nulla vera Christi Ecclesia, nullus verus Religionis cultus, id quod repugnat cum fine, ob quem Deus creavit mundum, et quod est contra expressa infallibilitatis promissa, quae Christus fecit suae Ecclesiae.

189. *C.* Atqui cum Theologi Romanae Communionis dicunt quemlibet privatum Doctorem in fidei veritatibus errare posse, ipsi necessario concedere debent, et omnes etiam simul posse errare. Ergo etc. *Prob.* Quod cuique ex partibus convenit, necessario quoque convenit toto. Ergo si quivis ex Doctoribus, et Pastoribus in fide errare potest, totus simul illorum Coetus poterit errare.

℟. Iterum dicimus, quod licet quivis ex Pastoribus, et Doctoribus potest errare, non inde sequitur, omnes

simul errare posse, quia secus tota erraret Ecclesia, et deficeret verus Religionis cultus, quod opponitur manifestis Christi promissionibus, et Dei fini, ob quem creavit mundum. Sic si permittit Deus, quemlibet separatim errare posse ex humana imbecillitate, nequicquam ob suas promissiones, permittere potest, ut omnes simul eodem in tempore errent, quia fidelissimus ipse est. Vides ergo, quod infallibilitatem omnium simul Doctorum in iis, quae ad fidem pertinent, non repetimus ex natura et doctrina illorum, sed ex Christi promissionibus, quae non cuilibet separatim, sed omnibus simul factae fuerunt, ex eo quod in isto, non vero in illo casu deficeret Ecclesia, quam Christus firmam vult usque ad finem mundi.

190. *C.* Atqui si quivis ex Doctoribus, et Pastoribus separatim errare potest, vanum prorsus, et inutile est quodvis Dei promissum de Ecclesiae infallibilitate. Ergo. etc. *Prob.* Ut valere posset hujusmodi Dei promissum, notum esse deberet quis esset ille, qui non errat, alioquin undique dubium, et inde nec visibilis esset Christi Ecclesia, quod non arridet Romanensibus Theologis. Sed non adhuc de certa fide constat in quo infallibilitas isthaec residet ex Christi promissione, in Pontifice ne Romano, an potius in Conciliis Oecumenicis. Ergo etc.

℟. *neg. min.* Id quod necessarium est pro tuenda veritate nostrae thesis utique constat, et certum est inter Theologos omnes Catholicos sine exceptione ullius. Etenim convenit inter omnes, Christi Ecclesiam, sive illam spectemus in Oecumenicis Conciliis congregatam, sive per universum Orbem diffusam, sive a Romano

Pontifice repraesentatam, ipsam omnino infallibilem esse in omnibus, quae de fide credenda proponuntur : et id ex Christi promissionibus praesertim. Quod adhuc disputatur inter Thelogos Gallicanos, et Italos, et de quo forsan loquuntur Adversarii, non est utrum Christi Ecclesia sive in credendo, sive in docendo quae ad fidem pertinent, possit errare, in quo convenit inter ipsos: sed quaestio est, si aliquid per solum Romanum Pontificem sit decretum pertinet nec ne illico ad fidem, nondum accedente sive explicite, sive implicite omnium peculiarium Ecclesiarum consensu? Itaque eodem zelo, ac nos, Theologi Parisienses fatentur, et tuentur Ecclesiam esse omnino infallibilem. Sed dicunt, istam infallibilitatem non adpromissam fuisse Romano Pontifici Petri Successori per illa verba. *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Item *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam . . . Et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Et. *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Etenim, dicunt, haec omnia potius respiciunt privilegium personale principis Apostolorum; sed infallibilitatem ipsam potius adpromissam fuisse Ecclesiae per illa verba. *Ubi sunt duo, vel tres in nomine meo congregati, ibi sum ego in medio eorum.* Item. *Rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis. Spiritum veritatis* Et. *Ecce ego vobiscum sum . . usque ad consumationem Saeculi.* Nihil itaque ad praesentem veritatem facit hujusmodi quaestio, quoniam nullimode Theologi Gallicani dubitant de nostra thesi, quae est de fide. Nec inde sequitur, ut dicunt Haeretici, Ecclesiam esse invisibilem.

Etenim in sententia etiam Gallorum, Ecclesia visibilis est in Concilis Oecumenicis congregata, et visibilis quoque per universum orbem sparsa, quoniam quaevis peculiaris Ecclesia visibilis est, quaevis sub suo Pastore. Caeterum de hujusmodi quaestione longior redibit sermo suo loco. Igitur concludendum etc.

191. Ex dictis fas est deducere, quod si aliquid, veluti de fide, statuatur a Romano Pontifice, cui tamen non accedit vel explicitus universalis Ecclesiae consensus, id verum fidei dogma non est, ita ut Haereticus sit, qui contra sentiat; alioquin jam Haeretici essent Parisienses Theologi. Sed, tamen ipsis non dissidentibus Gallicanis Theologis, dicimus, id summae temeritatis esse, et pro auctoritate, et veneratione supremi principis Ecclesiae; et pro rationibus, quas suo loco exponemus.

192. Item animadvertendum, quod illa tantum sunt de fide, quae directe ita definiuntur, aut proponuntur ab Ecclesia, veluti deprompta ex Scripturis, aut Traditione Divina, quam evolverit. Hinc si in damnanda aliqua Haeresi, aut in proponendo aliquo dogmate, incidens sermo occurrat de alio, hoc non de fide accipiendum est, sed tantummodo ut communiter docetur in Scholis. Inde factum est, ut licet a Patribus Concilii Lateranensis quarti cap. *Firmiter* dictum sit omnes creaturas materiales, et Spirituales, corpora, homines, et Angelos ab initio temporis a Deo fuisse conditos, quia id non directe, sed incidenter quasi dicitur a Patribus in damnanda Haeresi Albigentium, qui docebant aliquas creaturas a malo principio fuisse conditas, quae

fuerat haeresis Manichaeorum, et Marcionitarum: sed de fide tantum est, quod de fide decernere volebant, scilicet omnes sive spirituales, sive corporeas creaturas ab uno Deo fuisse conditas. Ideo haec animadverti, quia multum displicet, imo et pudet, saepius audire, et quidem a multis caeteroqui dignis Ecclesiae Ministris, qui libentissime, magno dedecore Sacrae doctrinae, haeresi damnant quemcumque audiunt quidquam dicere contra verba quaecumque incidentia Conciliorum, et etiam Romani Pontificis, quasi dogma fidei faciant quaecumque, et quomodolibet ab illis pronuntientur. Ergo illud tantum defide recensendum est, quod Concilia Æcumenica, aut Romanus Pontifex, accedente explicito aut implicito universalis Ecclesiae consensu, data opera, et praecisis verbis, veluti diligenti examine ex Scripturis, aut ex Divina et Apostolica Traditione depromptum, de fide reipsa definiunt, et proponunt; aut contrarium veluti haereticum damnant.

CAPUT II.

De iis, qui ad Christi Ecclesiam pertinent.

193. Duo in hoc capite nobis absolvenda sunt, statuere scilicet quinam sint membra Christi Ecclesiae, et quinam contra ad illam non pertineant. Exordiamur itaque ab illis.

194. Quoniam impius Calvinus, et post illum Wiclefus, et Joannes Hus veram Fidem non agnoscebant, nisi in solis Praedestinatis, ideo solos praedestinatos

dicebant esse Ecclesiae membra : Secus enim sine fide aliquis ad Christi Ecclesiam pertineret, id quod per se contradictorium est. Et ex inde originem ducebat ipsorum Haeresis, scilicet Christi Ecclesiam non esse visibilem. Itaque contra eosdem sit nostra sequens de fide

PROPOSITIO XV.

Ecclesia Christi non constat ex solis praedestinatis, sed etiam reprobis.

195. *Prob.* primo ex parabolis Evangelii, quas a Christo prolatas esse de Ecclesia, Haeretici ipsi nec negant, nec negare possunt. Itaque Matth. cap. III. ✝. 12. ita Joannes Baptista loquitur Pharisaeis, et Sadducaeis de Christo, et Ecclesia ejus. *Cujus ventilabrum in manu sua, et permundabit aream suam: et congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Quis hic non videt per aream designari Christi Ecclesiam, per triticum electos, et reprobos per paleam? Sed pertinent ad eamdem aream. Ergo Ecclesia non tantum constat ex praedestinatis, sed etiam reprobis. Item apud ipsum Matth. cap. XIII. Ecclesia a Christo comparatur agro, in quo simul cum tritico creverant zizania, quae tempore messis jussu Domini collecta fuerunt in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregatum in horreum. Et rursus ibidem cap. XXV. assimilatur decem Virginibus, quarum quinque, quia Fatuae, exclusae fuerunt a Convivio. Sed per zizania, et Virgines fatuas intelliguntur reprobi, qui ex-

Ecclesiam assimilavit ovili, et illius membra ovibus. *Alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor.* Sed per oves Christi intelligi debent soli Praedestinati, qui soli non peribunt, et tuto assequentur vitam aeternam; ut Christus ipse ibidem addit ♰. 27. *Oves meae vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me. Et ego vitam aeternam do eis, et non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea.* Ergo Ecclesia Christi constat tantum ex Praedestinatis.

199. Secundo Apostolus ad Hebraeos cap. III. ♰. 6 Ecclesiam Christi vocans domum, dicit etiam, illos esse in hac domo, qui usque in finem firmiter perseverabunt, qui sine dubitatione sunt soli praedestinati, ait enim. *Quae domus sumus nos, si fiduciam, et gloriam spei usque ad finem retineamus.* Ergo soli praedestinati sunt membra Christi Ecclesiae.

200. *Tertio.* Joannes in prima Epistola cap. secundo ♰. 19 ait, reprobos, qui non perseverabunt usque in finem, nusquam fuisse vera Ecclesiae membra. *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Ergo reprobi, qui non permanent usque in finem cum electis, Ecclesiae membra nusquam fuerunt.

℟. Et quidem ad primum dicimus, quod per oves Christi aliquando in Evangelio designantur soli electi, ut in objecto testimonio, et aliquando omnes vocati, omnes fideles, omnes, qui visibiliter sunt in Ecclesia,

licet praedestinati non sint. Etenim si Joannis cap. XXI. v. 16, et seq. Christus praecepit Petro. *Pasce agnos meos . . . pasce oves meas.* Quomodo Petrus hujusmodi praecepto obtemperare potuisset, si per agnos, et oves Christi intelligi deberent soli praedestinati, quos profecto internoscere non potuisset? Ergo licet per oves praecipue intelligantur electi, quoniam ita firmiter Christi vocem usque in finem audient, ut ex ovili terrestri, sive ex Ecclesia militanti, futuri quoque sint membra Ecclesiae triumphantis, non ideo ab eodem ovili, et militanti Ecclesia excludendi sunt reprobi. Sed hi tamen ad Ecclesiam triumphantem non pertinebunt, quia non aeque ac praedestinati firmiter, et fideliter pugnabunt usque in finem.

Ad secundum dicimus, quod domus Dei, pro qua hic Apostolus designat Ecclesiam, duplex pariter, ac Ecclesia, distinguitur, terrestris scilicet, et Coelestis. Illa data est pro labore, et certamine; haec vero reservata est pro praemio, et corona. In illa sunt omnes vocati: in ista sunt tantummodo illi, qui vocationi fideliter responderunt: plures ergo pertinent ad illam, quam ad istam. Ad illam pertinent et pigri, et strenui, reprobi scilicet, et praedestinati; ad hanc vero soli praedestinati. Vides ergo, quod licet multo perfectiori modo, in domo Dei, scilicet in Christi Ecclesia, sint praedestinati, quia fideles in Ecclesia militanti, gloriosi quoque erunt in Ecclesia triumphanti; et reprobi sunt solum, et quidem pigri, in domo terrestri, sive in Ecclesia militanti, hi tamen, licet imperfectiori modo, vera tamen membra sunt Christi Ecclesiae militantis.

Ad tertium dicimus, quod allatum Joannis testimonium potius nobis favet, quam contra. Quis non videt, quod priora verba *ex nobis prodierunt* aperte indicant Ecclesiam militantem? Ergo revera reprobi pertinent ad hanc Ecclesiam. *Sed non erant ex nobis.* Quare? Quia secus *permansissent nobiscum.* Sed quid inde, nisi quod cum fuerint in Ecclesia militanti, nobiscum tamen non erunt in triumphanti, quia nobiscum constantes non fuerunt in fide, et in ponendis operibus, quae Christus suis praecipit? Paucis verbis. Sententia Joannis est: Reprobi una cum electis pertinent ad Ecclesiam militantem: Sed in fide non persliterunt usque in finem: ergo in aeternum separabuntur ab electis.

201. Et haec de illis, qui sunt Christi Ecclesiae. Videamus modo quinam ad eamdem non pertinent. Sed prius nonnulla definienda sunt vocabula. Itaque Apostata dicitur qui veram Religionem, quam professus fuit, totam rejicit. Haereticus autem appellatur, qui aliquam tantum vel aliquot fidei veritates pertinaci animo negat. *Pertinaci animo* diximus, nam, qui contestatur, se paratum esse suas propositiones revocare, si ita Ecclesiae videbitur, etsi haeretica sit sua doctrina, nullatenus tamen haeresis nota illius persona damnari potest.

202. Tam haereticus, quam Apostata duplex esse potest, publicus scilicet, vel privatus, sive occultus. Erit publicus, si totius fidei abjuratio, aut obstinata rejectio alicujus fidei veritatis, publica, et nota sit in Ecclesia. Erit autem privatus, sive occultus si suum errorem vel nulli omnino notum fecerit, aut si alicui dixerit, ludere potius, quam sincere loqui visus fuerit.

203. Schismaticus est ille, qui se subtrahens ab obedientia Capitis Ecclesiae vel illam monstrum sine capite facit, aut illius destruit unitatem. Schisma communiter conjungitur cum aliqua haeresi: non enim praesumi potest, ut aliquis ab Ecclesia se sejungat, nisi quia ab illa, sive ab illius capite, aliqua sua doctrina rejicitur, et damnatur. Sed quamvis id fieri posse concedatur, tamen in aliud malum incidit, scilicet in damnatum errorem, contra unitatem Ecclesiae.

204. Excomunicati dicuntur, qui ob sua crimina bonis Ecclesiae communibus privantur. Et duplex distinguitur Excomunicatio, major scilicet, qua homo baptizatus, idest Ecclesiae subditus, omnibus Ecclesiae bonis privatur, quae sunt Sacramenta, sacrificia, suffragia etc. et minor, quae directe privat tantum susceptione Sacramentorum. Irretiti autem excomunicatione majori alii sunt tolerati, alii vitandi.

205. Nihil dicimus, de Catechumenis. Ipsi enim licet voluntatem habeant baptismum suscipiendi, quin et propterea actu doceantur, tamen ad Ecclesiam actu pertinere non possunt, quia nonnisi per Baptismum in illam ingredi fas est, juxta doctrinam Concilii Tridentini sessione XIV. cap. 2. *Ecclesia in neminem exercet judicium, qui non prius in ipsam per baptismi januam sit ingressus.* Hisce praenotatis, videamus modo, quinam ad visibilem Christi Ecclesiam non pertinent.

PROPOSITIO XVI.

Publici Apostatae ad Christi Ecclesiam nullatenus pertinent.

206. *prob.* Publici Apostatae sunt, qui ab Ecclesia rebellarunt, qui omnem Christi doctrinam, et fidem abjecerunt. Sed fides est princeps essentialis character Christi Ecclesiae. Ergo etc. Et quidem nullus ad Christi Ecclesiam pertinere potest, nisi Ecclesiae fidem profiteatur, nisi discipulus sit et sectator doctrinae Christi. Sed publici Apostatae rebellarunt ab Ecclesia, rejecerunt fidem, non amplius sequuntur Christi doctrinam, quomodo ergo aliquo modo dici possunt membra Ecclesiae, si illam reliquerunt? quomodo fideles sine Fide? quomodo Christiani sine Doctrina Christi? Quis dicet ad exercitum actu pertinere perfugas? Pertinuerunt quidem, ast non amplius, donec poenitentia ducti revertantur. Si omnia ista vere contradictoria sunt, dicendum, quod publici apostatae etc.

PROPOSITIO XVII.

Haeretici manifesti ad veram Christi Ecclesiam non pertinent.

207. *prob.* Ut in priori libro demonstratum est, existit divina revelata doctrina, quae quia a Deo, qui est ipsa veritas, in nullo esse potest falsa. Sed ex veritate

doctrinae pendet veritas religiosi cultus erga Deum; ergo existit verus religiosus cultus. Sed ex veritate cultus habetur veritas Religionis. Ergo existit vera Religio, quae quia in nullo falsa esse potest, una sola est, et vera in quavis sui parte. Sed ut ibidem demonstratum fuit, ipsa est Religio Christianorum, in qua sola Deo tribuitur dignus Religionis cultus, et homo aeternam salutem assequitur. Ergo Religio Christianorum una esse debet, et tota vera in quavis sui parte. Sed vera Christi Ecclesia est illa, in qua veram Christianam Religionem homines profitentur, et servant. Ergo qui positivam credunt, et sectantur falsitatem, sicut non habent veram Christi Religionem, ita ad veram Christi Ecclesiam non pertinent. Sed huiusmodi sunt Haeretici manifesti, scilicet qui essentiale aliquod fidei Christianae dogma obstinate et publice negant, et rejiciunt. Ergo nullimode ipsi ad Ecclesiam pertinent. Nullimode quidem: eteni m non pertinent intrinsece, quia in essentialibus deest illis fides, sine qua nec Christi nomen illis convenit; non extrinsece, quia publice, et manifeste essentialem fidei defectum ostendunt.

208. Quod si quaeratur quid dicendum de Haereticis occultis, respondemus, quod ex defectu fidei, quae est character essentialis Religionis Christianae, et propterea Christi Ecclesiae, veri Haeretici, sed occulti, in se ad Ecclesiam non pertinent: sed pertinent tantum exterius, quod nihil reipsa illis prodest. Quinimo et idcirco compelli possunt a superioribus ecclesiasticis ad omnia exteriora opera Religionis, quia secus essent scandalo caeteris, qui nesciunt illorum verae Christianae fidei defectum.

PROPOSITIO XVIII.

Schismatici Manifesti, et irretiti Excommunicatione Majori ad Christi Ecclesiam non pertinent.

209. *Prob.* prima pars. Schismatici (203) sunt illi, qui se subtrahentes ab obedientia Capitis Ecclesiae vel illam monstrum faciunt sine capite, vel ejusdem destruunt unitatem. Sed Christi Ecclesia essentialiter indiget Capite, et essentialiter est una. Ergo Schismatici manifesti ad illam non pertinent. Major per se patet. Etenim Schisma et quoad nomen, et quoad factum, nihil aliud est, nisi sejunctio, seu separatio. Ergo qui ab Ecclesia, quae est coetus fidelium separatur, vel pars illa separata aliud habebit caput, vel nullum. Si hoc: ergo erit monstrum sine Capite. Si illud. Ergo erit alter coetus cum suo Capite: et ideo ex una duplex facta est Ecclesia. *Prob.* itaque min. Et quidem quoad primam partem, etsi recusent adversarii omnes Ecclesiae definitionis partes admittere (§ 157); nullus tamen, vel si maxime velit, potest in dubium revocare, quin Ecclesia sit verus coetus, vera societas Sectatorum doctrinae Christi. Sed repugnat dari veram societatem, verum coetum, maxime si sermo sit de multorum millium hominum numero, sine capite. Ergo Christi Ecclesia essentialiter indiget capite. Sed et essentialiter quoque est una. Unus enim Christus illam suo sanguine fundavit; unam omnino doctrinam, unam fidem, unum baptisma illi dedit; quomodo ergo in partes dividi poterit? Unde, hoc in

casu, repeti poterit differentia partium? Nunquid ex vero primo capite Christo, qui unus est? Nunquid ex doctrina, quae similiter una est? nunquid . . . Sed redibit sermo de Ecclesiae unitate.

210. *Prob.* Secunda pars. Qui excommunicatione majori irretiti sunt (204) privantur omnibus Ecclesiae bonis, scilicet Sacramentis, Sacrificiis, suffragiis etc. Ergo excluduntur, et separantur a coetu omnium fidelium, et idcirco ab Ecclesia. Sed habet ne Ecclesia potestatem hujusmodi poenam infligendi? Sine dubitatione quidem. Et primo de aliquibus obstinate peccantibus Christus Matth. XVIII. ℣. 17 ait. *Si eos non audierit, dic Ecclesiae. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, et publicanus.* Quid per publicanum, nisi qui extra Ecclesiam est? Ergo habet Ecclesia hujusmodi potestatem; et idipsum confirmare videntur verba subsequentia. *Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo.* Sed adde. Ecclesia est veluti mysticum Christi corpus, cujus membra sunt fideles. Sed licite, et prudenter agit, qui aliquod sui corporis membrum abscindit, pro totius salute, et vita servanda, maxime si incurabili morbo illud laboret. Ergo prudenter agit Ecclesiae caput, cum pro bono omnium fidelium; veluti spirituali gladio, ut ait Cyprianus L. XII. a toto Ecclesiae corpore abscindit aliquod putridum membrum, homines scilicet superbos, et contumaces.

211. Sed et jam ab ipso Ecclesiae exordio id factum fuisse scimus. Etenim id fieri praecepit Christus in superius allato testimonio Matth. Id Apostolus in prima

ad Corinth. cap. V. cum praecepit excomunicari virum incestuosum. Et id omni tempore in Ecclesia factum esse scimus ab historia et Ecclesiastica, et Profana, et Patres communiter confirmant. Eccur non dicamus, hujusmodi potestatem esse in Ecclesia si non tam espresse ex Scripturis, certo tamen ex Divina Traditione, quae ut demostratum fuit (139) est altera fidei regula?

Solvuntur objectiones.

212. Quae objici solent contra hanc et superiores theses, ad haec restringi possunt. Primo. Baptismus est janua, per quam ingredimur in Ecclesiam. Sed Haeretici baptismum receperunt. Ergo licet sint publici, in Ecclesia tamen sunt. Nec valet dicere, quod sunt publici peccatores, et scandolo caeteris; nam a Theologis Catholicis publici peccatores non excluduntur a terrestri, et visibili Christi Ecclesia.

2. Apostolus in secunda ad Timoth. declarat haereticos Hymenaeum, et Philetum, dicens. ✶. 18. *Quia veritate exciderunt, dicentes resurrectionem esse jam factam et subverterunt quorumdam fidem.* Et ✶. 20 assimilans Christi Ecclesiam magnae domui, dicit. *In magna autem domo non solum sunt vasa aurea, et argentea, sed et lignea, et fictilia: et quaedam quidem in honorem, quaedam autem in contumeliam.* Quis hic non videt per vasa ignea et fictilia intelligi laudatos Haereticos? Sed nihilominus dicta vasa ad domum pertinent, certo non ob aliam causam, nisi quia domum inducta fuerunt. Ergo Haereti-

ci licet manifesti, et quicumque alii, qui per baptismi januam in Ecclesiam Christi ingressi sunt, ad Christi Ecclesiam pertinent, licet in contumeliam, non autem in honorem.

Tandem. Et id magis verum est de quibuscumque a communione separatis. Hi enim non solum baptismum receperunt, sed integram adhuc servant fidem, quae est veluti anima Christi Ecclesiae. Hisce adde, quod cum nemo per Theologos Romanenses extra Ecclesiam, quae est unicus salutis portus, salvari possit, si pastores Ecclesiae aliquem ex sui communione rejicere possent, tunc aeterna et irreparabili ruina illum damnarent. Sed abhorret istud a vera charitate Ecclesiae, quae ut mater non ad perniciem, sed ad utilitatem suos punit filios. Ergo non revera, sed ad terrorem tantum nonnulli ab Ecclesiae pastoribus devovuntur.

℟. *ad singula*. Et quidem ad primum dicimus, quod pugnat in terminis, ut quis ad Christi Ecclesiam pertineat, qui Christi doctrinam nec profitetur, nec sectatur; et ut sectator sit ejusdem Christi, qui in essentialibus illius doctrinam pertinaciter rejicit. Sed ejusmodi sunt Haeretici, de quibus est sermo. Ergo nullimode ad Ecclesiam pertinent, etsi per baptismi januam in illam ingressi fuerint. Quippe fides, cui additur spes, et charitas, est velut anima Sponsae Christi Ecclesiae. Quocirca cum publice quis fidem rejicit, statim ab Ecclesia foras erumpit.

Ad alterum, negamus vasa lignea, et fictilia, quae Apostolus dicit esse in magna domo, scilicet Ecclesia, referri ad Hymenaeum, et Philetum, qui a fide excide-

rant, sed ad illos, qui licet ad Ecclesiam pertinebant, non erant tamen firmi in fide, et charitate, sed debiles, quorum fidem propterea Hymenaeus, et Philetus facile subvertebant, ut indicant posteriora verba testimonii in objectione allati. Itaque per vasa aurea, et argentea intelligi debent fideles confirmati, et stabiles in fide, et per vasa fictilia instabiles, et leves. Solutio est D. Thomae in comment: in hunc locum.

Ad ultimum concedimus fidem esse veluti animam Christi Ecclesiae, dum tamen a spe et charitate non sejungatur. Sed quomodo in vera hujusmodi fide dici possunt, qui a communione separantur? Nonne illi hac poena plectuntur, qui surdi Ecclesiae monitis in gravioribus sceleribus pertinaciter sordescunt cum gravi discrimine aliorum? Quae in istis charitas erga Deum, et proximum? Sed et quae prudentia non resecare putridum membrum, ne alia sana pariter infirmentur? Quinimo ipsa divina lex naturalis, quae semper praecipit minui mala, imperat ut noxii homines perdantur, si gravi periculo sint caeteris. Cur ergo idipsum non licet Ecclesiae? Nunquid cum pia, et misericors mater ipsa sit, imprudens esse debet? Caeterum et haec quoque gravissima poena non infligitur, nisi pro bono etiam ipsorum sontium, ut scilicet perterriti se poeniteat peccatorum: Etenim semper parata est Ecclesia illos in suum sinum recipere statim ac sincere resipiscunt.

213. Nihil dicimus de Catechumenis. Etenim si per solum baptismum veluti januam datum est in Ecclesiam ingredi, nullimode dici possunt in Ecclesia Catechumeni, qui non adhuc baptismum receperunt. Nec obest, quod

salutem consequentur si interim ex hac vita decedant; cum tamen verum sit, neminem sine baptismo salutem consequi posse: Etenim pro certo ponitur quod decedant in fide interiori et charitate, et verum desiderium habeant baptizari, id quod Ecclesia tenet sufficere ad salutem.

CAPUT III.

De veris Christi Ecclesiae Notis.

214. Si quaevis res suos habet characteres, quibus a caeteris omnibus distinguitur, eosdem et Christi Ecclesia procul dubio habere debet, quibus a falsis conventiculis dignosci queat. Hanc veritatem agnoscunt, et fatentur ipsi quoque Haeretici; Sed quinam sint ipsi characteres, contra fidei professionem a Concilio Nicaeno I. statutam, in hoc non conveniunt cum Catholicis. Quippe Concilium Nicaenum pro veris Ecclesiae notis proposuit, ut sit una, sancta, Catholica, et Apostolica. ***Credo unam, Sanctam, Catholicam et Apostolicam Ecclesiam.*** Et Haeretici contra, ut falsa ipsorum conventicula cum vera Ecclesia confundant, vagos, et non praecise determinatos characteres constituunt, scilicet sinceram verbi Dei praedicationem, et legitimum usum Sacramentorum. Sed quis certo scire poterit, num sincera sit verbi Dei praedicatio? ubinam reperiatur legitimus usus Sacramentorum? Duo itaquō nobis praestanda sunt, confutatio scilicet Haereticorum erroris, et confirmatio veritatis professionis nostrae fidei. Sit itaque

PROPOSITIO XIX.

Sincera verbi Dei praedicatio, sicut et legitimus Sacramentorum usus statui non possunt pro veris Christi Ecclesiae notis.

215. *Prob.* Nota, sive character cujusque rei debet esse clarior, et notior ipsa re; haec enim per illam certo et facile dignosci debet. Sed sincera Verbi Dei praedicatio, sicut et legitimus Sacramentorum usus, obscuriora sunt quam ipsa Ecclesia, cujus quaerimus notas. Ergo etc. *Prob. min.* In quavis secta asseritur sincera verbi Dei praedicatio, et legitimus usus Sacramentorum, et nihilominus essentialiter ipsae diversae sunt inter se, ita ut nonnisi una vera esse possit. Quis quaeso sententiam feret super hac veritate? Non quaevis secta pro se, quia nullus esse potest judex in causa propria: nec quaevis pro aliis, secus, licet indirecte, judex quoque esset in sui causa, quia alias excludendo propriam includeret. Nec omnes simul esse possunt. Primo quia tot erunt oppositae sententiae, quot sunt sectae: secundo, quia revera obscurum est, num sincera sit praedicatio, num legitimus Sacramentorum usus. Nec juvat dicere, quod dirimi posset quaestio ex Scripturis, quia quaevis secta ex Scripturis nititur repetere veritatem suae doctrinae, et usum, quem adhibet in administratione Sacramentorum. Ergo opus esset legitimo interprete Scripturarum. Sed hic reperiri non potest, nisi in vera Ecclesia. En ergo circulus vere vitiosus. En positum pro

vero, illud, quod quaeritur. En quaestio, quae in aeternum non solvetur: et en res notior suis notis, quoniam notae per ipsam, non vero ipsa per notas dignoscitur. Ergo dicendum etc.

Solvuntur objectiones.

216. Plura solent nobis opponi ab Heterodoxis. Et quidem primo dicunt. Vera Christi doctrina est essentia ipsius Ecclesiae. Sed quae melior cujusque rei nota, quam ejusdem essentia? Ergo vera Christi Ecclesiae nota est sincera verbi Dei praedicatio.

217. *Secundo*. Vera Christi Ecclesia a Theologis demonstratur ex Scripturis. Ergo Scriptura per se est notior Ecclesia: Et propterea sincera Praedicatio doctrinae, quae in Scripturis Divinis continetur, est vera Ecclesiae nota.

218. *Tertio*. Joannis cap. X. ℣. 27. *Oves meae vocem meam audiunt*. Ergo Christus ipse veram sui fidelium, et proinde Ecclesiae, notam posuit in eo, ut audiant, et amplectantur quoque Verbum Dei, quod praedicatur. Ergo prima Ecclesiae nota est sincera praedicatio verbi Dei.

219. *Quarto*. Et haec est Doctrina probatissimorum Patrum. Nam Augustinus in epist. 166. scripsit. *In Scripturis didicimus Christum, in Scripturis didicimus Ecclesiam*. Ergo si ex Augustino Ecclesia cognoscitur ex Scripturis, certe praedicatio doctrinae, quae in Scripturis continetur, est vera Ecclesiae nota. Et clarius idem Sanctus Doctor lib. De unitate Ecclesiae cap. 3

scribit. *Nolo hominum documentis, sed divinis oraculis Sanctam Ecclesiam demonstrari.* Idipsum docuit Sanctus Ioannes Chrysostomus hom. XLIX. in Matth: ubi ait. *Qui ergo vult cognoscere, quae est vera Ecclesia Christi, unde cognoscat, nisi tantummodo per Scripturas?* Ergo si nota est id, per quod tuto cognoscitur res, Scriptura sive praedicatio verbi Dei, quae in Scripturis continetur, per quas dumtaxat fas est cognoscere veram Christi Ecclesiam, est vera, imo unica tessera verae Christi Ecclesiae.

220. ℟. breviter ad singula. Et quidem ad primum concedimus utique Christi doctrinam esse Ecclesiae essentiam. Sed quis unquam ausus est dicere, res a nobis dignosci per suas essentias.? Nonne essentia est id quod facit, ut ens sit quod est, sive idem, ac res, cujus dicitur essentia? Ergo cum essentia idem sit, ac res, dicere rem cognosci per essentiam, idem est, ac dicere rem cognosci per seipsam jam cognitam. Quinimo cum res existentes nunquam, et abstractae non semper perfecte, et adaequate cognoscantur, inde fit, ut licet cognoscamus individua, sive melius substantias existentes, nunquam cognoscamus veram illarum essentiam, et non semper cognoscamus essentiam specierum, sed tunc tantum cum has perfecte novimus. Ergo essentia potius ex re, quam res per essentiam cognoscitur: hoc est, tunc dicimur cognoscere essentiam alicujus rei, cum perfecte, et adaequate ipsam rem novimus. Sed id magis verum in re nostra. Si vera Christi doctrina est essentia illius Ecclesiae, quis sententiam feret de canonicitate Scripturarum, in quibus illa continetur, et

de vero sensu illarum, quoties non convenit inter partes, uti revera non convenit inter nos, et Heterodoxos? Nullus profecto, nisi sola Ecclesia, cui Christus adpromisit Spiritum veritatis. Ergo prius dignoscenda est vera Christi Ecclesia, ut inde nota fiat vera illius essentia, scilicet vera sententia Scripturarum. Ergo Ecclesiae notam reponere in sincera verbi Dei praedicatione, idem est, ac asserere contradictoria.

221. Ad secundum dicimus, quod licet ex Scripturis demonstretur, quaenam sit vera Christi Ecclesia, non tamen illae pro Ecclesiae nota statui possunt. Et ratio est quia Scripturae, et Ecclesia se invicem adjuvant. Etenim ex Scripturis, de quarum canonicitate, et doctrinae sententia convenit, demonstratur quaenam sit vera Ecclesia; Et ex infallibili auctoritate Ecclesiae evincitur canonicitas caeterorum librorum Sacrorum, et quaenam sit vera sententia doctrinae omnium. Sed saepe non convenit inter nos, et Heterodoxos nec de illa, nec de ista. Ergo si non constat per se de vera doctrina Christi, praesertim quoad sententiam, quia diverse ac nos illam interpretantur Haeretici, nullimode sincera Verbi Dei praedicatio statui potest pro verae Christi Ecclesiae nota.

222. Ad tertium respondemus, quod in objecto testimonio Joannis Christus loquitur de electis, et dicit esse illos, qui cum aviditate Verbum Dei suscipiunt, firmiter retinent, et ad normam illius constanter suam vitam componunt. Sed non constat quinam ipsi sint, nec constat pariter quodnam sit verum Verbum Dei, quoniam non desunt, qui ad arbitrium Scripturas interpre-

tantur. Ergo si non constat de sincera Verbi Dei praedicatione, nisi prius constet de vera Ecclesia, quae infallibiliter Scripturas interpretatur, longe à veritate aberrant Heterodoxi, qui per sinceram Verbi Dei praedicationem Ecclesiam Christi dignoscere volunt.

223. Ad quartum, et quidem ad primum allatum testimonium Divi Augustini dicimus, quod optime Sanctus Doctor dicit per Scripturas agnosci Christum, et Ecclesiam, sed id tunc solum, cum inter omnes convenit quaenam sint verae Scripturae Divinae, et quae vera sententia illarum. Sed de his non convenit, inter omnes, sicut revera non convenit inter nos, et Heterodoxos, secus nulla esset haeresis. Ergo nec Scripturae, nec praedicatio doctrinae illarum statui possunt pro vera Christi Ecclesiae nota.

In altero autem testimonio Sanctus Doctor loquitur in hypothesi, quod conveniat de veris Scripturis divinis, et de vera sententia illarum. Ergo nihil inde erui fas est contra nostram thesim.

Tandem quoad Chrysostomum dicimus testimonium in objectione allatum non esse ipsius. Etenim illud legitur in opere imperfecto in Matth. cujus operis auctor non est Chrysostomus. Et quidem in illo multa habentur ex libris adulterinis, et ut dicit clarissimus Tournely, multa etiam haeretica, et Chrysostomi doctrinae contraria.

PROPOSITIO XIX.

Verae Christi Ecclesiae notae sunt illae quatuor simul sumptae quae a Concilio Nicaeno in fidei Symbolo propositae fuerunt, scilicet ut sit una, Sancta, Catholica, et Apostolica.

224. *prob.* quoad primam partem. Ut in primo libro demonstratum est, una est Doctrina revelata, una vera Religio, in qua verus cultus Deo tribuitur; ergo una pariter debet esse vera Christi Ecclesia, in qua sola vera reperitur Doctrina revelata, verus Religionis cultus Deo tribuitur, et in qua sola est nostrae salutis spes. Et requidem vera si plures dari possent verae Christi Ecclesiae, vel ipsae eamdem omnino profiterentur fidem, vel non. Hoc dici nequit, secus enim vel plures et diversae essent doctrinae revelatae, vel vera daretur Religio sine vera doctrina revelata, quorum utrumque per se falsum est, et induceret Indifferentismum. Si illud; ergo una tantum erit vera Christi Ecclesia, non plures, quia unitas Ecclesiae pendet ab unitate doctrinae.

225. *Prob. secundo.* Ex Scripturis Ecclesia est Sponsa Christi. Sed in Cantico Cant. Cap. VI ℣. 8 sponsa est una. *Una est columba mea, perfecta mea.* Ergo essentialis Christi Ecclesiae character est, ut sit una. Deinde Apostolus ad Ephesios cap. IV. ℣. 4 ait. *Unum corpus, et unus Spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae.* Et in prima ad Corinthios cap.

XII. ℣. 12 ita scribit. *Sicut enim Corpus unum est, et membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt: ita et Christus. Etenim in uno Spiritu nos in unum corpus baptizati sumus.* Ergo si Christi corpus non est, nisi unum, princeps character ipsius Ecclesiae est, ut sit una. Si in uno Spiritu baptizati sumus, una est nostra Mater Ecclesia, quoniam unus est Spiritus, qui illam informat, et una est janua, *Baptismus*, per quam solam fas est in illam ingredi.

226. Confirmatur ex doctrina Patrum, ex quorum unanimi consensu liquet Divina et Apostolica Traditio, quam vindicavimus esse alteram fidei nostrae regulam (139). Divus Augustinus sermone 103 alias 36 ait. *Deus unus, Ecclesia una, non respondet uni, nisi unitas.* Et Sanctus Cyprianus postquam in ferme toto libro de unitate Ecclesiae docuit, confirmavit, et illustravit etiam exemplis hanc de fide veritatem; ita sub finem ait. *Deus unus est, et Christus unus, et Ecclesia ejus, et fides una.* Omittimus caeteros, praesertim Clementem Alexandrinum lib. 3. Stromatum, Originem lib. 1. in Job, et Optatum, quia cum ad fidem spectet haec veritas, certo in ipsa concordant omnes Patres.

227. *Prob.* secunda pars, et primo ex Scripturis. Itaque Apostolus ad Ephesios cap. V. ℣ 25 ait. *Christus dilexit Ecclesiam, et tradidit semetipsum pro ea, ut illam sanctificaret.* Et ad Hebraeos cap. ultimo v. 12. *Propter quod et Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.* Quid

per populum, nisi Ecclesiam? Et Petrus in prima epistola cap. secundo v. 9 ait. *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens Sancta.* Quid clarius?

228. Confirmatur breviter naturali ratione. Sanctitas Ecclesiae praecipue consistit in Sanctitate doctrinae. Sed Ecclesiae doctrina est doctrina Christi, qui nonnisi sancta docere, proponere, et praecipere potest. Ergo omnino repugnat, ut Ecclesia non sit sancta. Deinde: Ecclesiae auctor est Christus Sanctissimus, et sanctus quoque est finis, ob quem fundavit, scilicet ut verus Religionis cultus Deo tribuatur, ut Patri plene faceret satis pro peccatis hominum, et ut salutem aeternam humanum genus assequeretur. Ergo nonnisi sancta est Ecclesia. Nec officit; quod sancta non sint omnia ipsius membra, ut objiciunt Haeretici. Nam sufficit, ut plura sancta sint, et ut Sanctitas omnibus proponatur, et praecipiatur. Etenim quia portus iste aeternae salutis volentibus, et non coactis propositus est, nullimode Ecclesiae Sanctitati derogat impietas nonnullorum, qui in portu ipso voluntario naufragio pereunt.

229. *Prob. tertia pars.* In Genesi cap. XXII v. 18. Angelus nomine Dei per semetipsum jurantis, dixit Abrahae. *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Sed ex Apostolo ad Galatas cap. tertio ✝. 14 benedictio isthaec facta est Gentibus per Christum. *Ut in Gentibus benedictio Abrahae fieret in Christo Jesu.* Ergo Christi Ecclesia extendi se debet ad omnes gentes, scilicet esse debet Catholica, sive universalis. Item, Isaiae cap. 49 v. 6. legitur. *Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum ter-*

rae. Et Malachiae cap. primo v. 11 scriptum est. ***Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus, et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda.*** Nunquid haec omnia veteri Synagogae aptari possunt? Ergo intelligenda sunt de Christo, et Ecclesia ejus. Et propterea Ecclesiae Christi character est, ut per universum orbem sit diffusa, ut pertingat extremum terrae. Sed clarius eamdem veritatem habemus ex psal. secundo v. 8; ubi de Christo legitur. ***Postula a me; et dabo tibi gentes haereditatem, et possessionem tuam terminos terrae.*** Quae enim est alia possessio Christi, nisi Ecclesia, quam acquisivit sanguine suo? Ergo usque ad terminos terrae extendi debet vera Christi Ecclesia.

230. Eadem veritas multo magis evincitur ex novo Testamento. Etenim apud Matth. cap. ultimo, v. 19 Christus post resurrectionem sic Apostolis praecepit. ***Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti***: et Actorum primo v. 8. idem Christus jam jam ascensurus in Coelum ait. ***Eritis mihi testes in Jerusalem, et in Judaea, et Samaria, et usque ad ultimum terrae.*** Ergo nulli dubium, quod illa societas, quae hanc non habet universalitatem, Christi Ecclesia esse non potest. Ergo universalitas, seu Catholicitas, est verus character ad directe cognoscendam falsitatem sectarum, et indirecte cognoscendam veram Christi Ecclesiam, id quod satis est, eo quod in re nostra recte concluditur ex exclusione caeterarum partium, quia necessario debet existere vera Religio, ut demonstratum fuit in primo libro.

231. *Prob. ultima pars.* Christus per Apostolos suam fundavit Ecclesiam; illos enim voce suam docuit divinam doctrinam, et eisdem praecepit, ut per universum orbem suum Evangelium praedicarent, ita ut nulla alia sit doctrina Christi, nisi illa, quam habemus ex Apostolis. Ergo Apostolicitas est verus character ad directe cognoscendum, quae societates ad Christum non pertinent, et quae contra sit ipsius vera Ecclesia; ut coram videbimus.

232. Quoniam inter omnes ferme convenit recensitas notas reperiri in Ecclesia Christi, sed non ita etiam convenit, in quo quaevis illarum sit reponenda, ex quo fit, ut Heterodoxi illas appellent vagas, et ipsa Ecclesia obscuriores; idcirco ut ipsorum error, et malitia detegatur, non pigeat quamlibet illarum clarius determinare. Sit ergo

PROPOSITIO XX.

Unitas Christi Ecclesiae non solum reponenda est in unitate Fidei, sed etiam in unitate regiminis.

233. *Prob.* Christus Joannis X. v. 16 ait. *Fiet unum ovile, et unus pastor.* Ergo ad unitatem Ecclesiae non solum requiritur unitas doctrinae, sed etiam unitas regiminis, seu pastoris. Et hoc confirmat Apostolus in prima ad Corinth. cap. XII. v. 12, ubi comparat Ecclesiam cum unitate corporis humani, in quo plura sunt membra. Ergo si maxime monstruosum est, ut unum et idem corpus plura habeat capita, unum caput quoque habere debet Christi Ecclesia.

234. Corollarium. Ergo Ecclesia Lutheranorum, et Calvinistarum, aliorumque recentiorum Haereticorum, una non est. Etenim non solum non habent unitatem regiminis, et capitis, sed nec etiam unitatem doctrinae, et quidem nec in ipsis fidei articulis fundamentalibus. Et id necessario sequitur Spiritum privatum, quem interpretem tuentur Sacrarum Scripturarum.

PROPOSITIO XXI.

Sanctitas, quae est altera Christi Ecclesiae nota, non in eo reponenda est, ut omnia illius membra sint Sancta, sed praecipue ut in omnibus Sancta sit doctrina, quae credenda, et servanda proponitur.

235. *Prob.* Ex superius demonstratis (§. 195) Ecclesia Christi non constat tantum ex praedestinatis, sed etiam ex reprobis. Ergo etc. Necessario autem requiritur, ut in omnibus sancta sit doctrina, quae credenda, et servanda proponitur: primo quia ipsa a Deo est revelata, et absolute repugnat, ut Deus revelet, et credenda, et facienda proponat, quae sanctitati adversantur, et secundo, quia nonnisi in Sanctitate Doctrinae verus Religionis cultus Deo praestari potest, propter quem et Revelatio facta est, et a Christo fundata fuit Ecclesia.

236. Corollarium. Sanctitas, in qua est vera Christi Ecclesiae nota, longe abest a conventiculis Lutheranorum, Calvinistarum, aliorumque recentiorum Haereticorum. Et quidem primo, in illis non habetur unitas do-

ctrinae, et quidem in essentialibus. Ergo, nisi indifferentismum inducere velint Novatores, sanctam, et Deo gratam dicere non possunt suam doctrinam, et Ecclesiam, quia quae sunt diversa, et opposita, omnia sancta esse non possunt. Secundo, Novatores docent Deum praedestinare homines ad malum, et esse veram causam peccati, Divina praecepta esse impossibilia, omnia illorum opera, qui non sunt praedestinati, esse peccata; justitiam semel acceptam amitti non posse, impia quaeque, et scelesta non officere quoties sincere credamus, non invocandos sanctos, non jejunandum, non servanda Deo vota. Sed haec omnia tam absunt a Sanctitate, quantum falsitas a veritate, et malum a bono. Ergo etc.

PROPOSITIO XXII.

Ultima Ecclesiae nota, ut scilicet sit Apostolica, non solum reponenda est in Apostolica Doctrina, sed maxime in legitima, et non interrupta Pastorum successione ab Apostolis.

237. *Prob.* theologica ratione. Ecclesia Christi reposita est in successione Pastorum, et fidelium ab Apostolis, et primis fidelibus usque ad saeculorum finem. Ergo interrumpi non potest, secus deficeret, contra quod demonstratum est (§. 173), et propterea ultima Ecclesiae nota etc. Et quidem: sicut necessario, et semper existere debet in mundo vera doctrina revelata, verus Religionis cultus erga Deum, quia, sicut in primo libro demonstratum est, nequit frustrari illius finis, quem

sibi proposuit in mundi creatione; ita nec deficere, nec suspendi potest Christi Ecclesia, in qua sola verus Religionis cultus reperitur. Sed si pastorum successio ab Apostolis interrumperetur, Ecclesia utique deficeret, vel saltem suspensa remaneret. Ergo etc. Sed adde, quod Ecclesia semel suspensa, nunquam deinceps redintegrari posset ob defectum missionis. Etenim qua auctoritate quis, ut gregis pastor, immitteret se in Christi Ecclesiam, quae ut mysticum corpus ejus, indiget capite? Dicendum ergo etc.

238. *Prob.* secundo ex Sanctis Patribus. Communis est haec doctrina Sanctorum Patrum, ex quo non licet dubitare, quin sit ex vera Divina Apostolica Traditione. Sed brevitatis causa sit instar omnium maximus Doctor Augustinus praesertim in psal. contra Donatistas ubi ait. *Numerate Sacerdotes vel ab ipsa Petri sede, et in ordine illo Petrum, quis cui successit videte.* Et in libro contra Epist. Fundamenti cap. IV. *Tenet me* (in Ecclesia catholica) *ab ipsa sede Petri, cui pascendas oves Christus Dominus tradidit, usque ad praesentem Episcopatum successio Sacerdotum.* Ergo etc.

239. *Corollarium.* Inde legitime concluditur, Protestantium, et Orientalium Haereticorum societates nullimode apostolicas dici posse. Etenim non solum veram Apostolorum doctrinam, pessimis erroribus corruperunt, sed omni prorsus legitima successione carent suorum Pastorum ab Apostolis. Quippe defecerunt, et rebellarunt ab antiqua vera Ecclesia Apostolica, et propterea nec successionem, nec missionem Pastorum habent.

240. *Dices*. Multi, et graves abusus irrepserunt in Christi Ecclesiam, et adeo quidem, ut tria Concilia Oecumenica, Lateranense quartum, Constantiense, et Basiliense agnoverunt necessariam Ecclesiae reformationem; et Bernardus Epist. 238 ad Æugenium, quasi lugens scripserit. *Quis mihi det, antequam moriar, videre Ecclesiam Dei sicut in diebus antiquis?* Ergo ex Dei providentia, et misericordia factum est, ut nonnulli pii, et zelantes excitati fuerint, qui invicto animo, et rejecto pro gloria Dei omni humano respectu, ad tantum reformationis opus manus admoverunt: ad eumdem sane modum, quo identidem in veteri lege Deus suscitavit Prophetas ad extirpandos abusus, et ad veram legis observantiam homines revocandos.

℟. Libenter damus abusus fuisse, et nunc quoque esse in Ecclesia Christi: sed ipsi respiciunt solum mores hominum, qui vel ambitione ducti, vel pravas cupiditates sectantes a recta via declinaverunt, e quorum coetu non excludimus multos Ecclesiae ministros, et si velis, nonnullos quoque Pastores: sed nusquam corrupta fuit, nec potest corrumpi Evangelica Christi doctrina, quae eadem semper, et divina est, et erit in quavis tempestate. Ergo mores reformandos esse dicebant laudata concilia, et hoc sancto zelo Deum rogabat D. Bernardus, non vero, reformationem Evangelii, et caeterorum librorum Canonicorum.

Ad hoc ipsum identidem Prophetae a Deo dati fuerunt in veteri lege, et saepe quoque in lege Evangelica, Divina providentia dantur viri peculiares in Doctrina, in Sanctitate, et in animo invicto pro reformandis

depravatis moribus. Verum nec Prophetae, nec isti viri sancti vocem suam elevaverunt contra legitimam Pastorum successionem, nec contra sanctitatem Christianae legis, et doctrinae: quinimo maximo obsequio prosecuti sunt legitimos Pastores, et pro lege vitam dare non dubitarunt.

CAPUT IV.

Demonstratur falsa quaevis Secta Recentiorum Haereticorum.

241. A destructivo principio Revelatae Religionis invecto a Luthero, scilicet de independentia Spiritus privati a quacumque legitima auctoritate in interpretando libros biblicos, tot, et tam variae sectae originem habuere, et adhuc habent, ut Institutionis limites praetergrederemus, si summatim illas recensere vellemus. Ex illo enim prodierunt veluti semper novi Reformatores Ecclesiae Christi, et sacrarum Scripturarum Calvinistae in Galliis, Zwingliani in Helvetia, Carlostadius in Germania etc. ac tandem systema impiissimum Philosophiae Kantianae, et inde Rationalistae, et Naturalistae, qui omnem veram Revelationem rejicientes, nihil aliud admittunt, nisi solam naturalem rationem, quam ad novam semper perfectionem progredi affirmant. Quamvis ex perpetua, et constanti dissentione harum societatum in negotio Religionis evidenter appareat falsitas cujusque, quoniam una est veritas, et ipsae omnes non conveniunt in essentialibus, nos tamen refutatis Deistis,

et Naturalistis in priori libro, breviter aggredimur Lutheranos, eorumque Sectatores in genere, ut sic concludatur veritas Christi Ecclesiae in sola Romana Communione. Itaque sit

PROPOSITIO XXIII.

Ecclesia Lutheranorum, Calvinistarum, aliorumque Recentiorum Haereticorum falsa est.

242. *Prob.* Verae Christi Ecclesiae notae sunt, ut sit una, sancta, catholica, et Apostolica (§. 224). Et quidem unitas non in sola unitate fidei, sed etiam regiminis, reponenda est (§. 232). Item sanctitas non repetenda est ex eo, ut omnia Ecclesiae membra sint sancta, quia visibilis Christi Ecclesia non constat ex solis praedestinatis, sed etiam reprobis (§. 195); sed ut sancta sit illius doctrina in omnibus, quae credenda, et servanda proponuntur (§. 935). Apostolicitas etiam non statuenda est in sola Apostolica divina doctrina, sed maxime in legitima, et non interrupta Pastorum succesione ab Apostolis. Sed nulla ex istis notis convenit Ecclesiae Lutheranorum, Calvinistarum etc. Ergo illorum omnium Ecclesia falsa est. Et quidem illi non convenit vera unitas (§. 134), nec sanctitas (§. 236), et nec etiam dici potest Apostolica (§. 239). Et quoniam nonnisi in brevissimis tantum alicujus provinciae aut regni limitibus continetur, et in quibus non desunt quam plurimi ex communione Romana, ipsam nullimode catholica, sive universalis dici potest. Etsi haec no-

ta, quae reperiri debet in vera Christi Ecclesia, ut demonstratum est (§. 239, et seq.) ipsa sola aliis sejuncta non sufficit, ut dignoscatur vera Ecclesia Christi. Eccur enim fieri non potest, ut error ubique cum veritate disseminetur, sicut zizania cum tritico? Ergo Ecclesia Lutheranorum, Calvinistarum etc.

243. Confirmatur. Principium, in quo solo convenit inter rebelles omnes Reformatores est independentia Spiritus privati a pessimo Spiritu Lutheri dictata pro vera assequenda Sententia Sacrorum Librorum. Sed Spiritus penitus est eliminandus, quia Pyrrhonismum promovet, aut saltem indifferentismum (§. 115). Ergo Ecclesia Lutheranorum, Calvinistarum, et omnium usque ad nostra tempora recentissimos illorum Sectatores, falsa est. Etenim licet isti a Lutheri doctrina prorsus discesserint, retinent tamen illud principium, quod omnia evertit in negotio Religionis.

244. Scholium. In duas classes fas est distinguere omnes Reformatores, vetustiores scilicet, et Recentiores. Illi ut Lutherus, Calvinus etc. etsi totam evertere conati sint veram Christi Ecclesiam et Religionem, fatebantur tamen existentiam Divinae Revelationis, et solam Christi Religionem veram esse dicebant. Quinimo Lutherus admittens originale peccatum adeo ultra verum illius extendit consequentias, ut inde liberum arbitrium in homine destructum fuisse blasphemaverit. Recentiores ex eodem fatali principio privati spiritus paullatim eo impietatis devenerunt, ut rejecta omni revelatione, rationalismi Systema communiter sectantur; et sic Spiritum privatum, quem Lutherus dicebat le-

gitimum interpretem Sacrarum Scripturarum, isti faciunt regulam religiosi cultus erga Deum. Et inde tandem factum est, ut Christi doctrinam adeo nonnulli execrentur, ut Becker non erubuerit asserere in volum. 3. Hist. universalis ad usum Juventutis, quod Christus Jesus, et Joannes Baptista ad retundendam superbiam Phariseorum aliam novam excogitaverint Religionem, cujus ex composito alter dictus fuit Messias, et alter praecursor: Et Henke Christi Religionem vocaverit Christolatriam querens illam esse impedimento beneficae revolutioni in negotio Religionis. Vide Institutiones Joannis perrone vol. 1. prop. IX. de origine protestantismi. Contra Recentiores istos, qui potius recenseri debent inter Naturalistas, et brevi forsan inter Atheos, quam inter Reformatores, totus fuit noster primus liber; et contra Antesignanos sufficere videntur, quae hactenus de Christi Ecclesia disputata sunt.

CAPUT ULTIMUM.

Demonstratur solam Romanam Communionem esse veram Christi Ecclesiam.

245. Procul dubio, si ut pluries diximus, necessario esse debet verus Religionis cultus erga Deum: Si ipse nonnisi in Christiana Religione reperitur, ut indirecte per exclusionem partium, et directe etiam ex miraculis, et prophetiis demonstratum fuit in secunda parte primi libri: Si falsae demonstratae omnes Reformatorum sectae, et extra Ecclesiam quoque demonstravi-

mus reperiri Haereticos Manifestos, et Apostatas, eadem exclusione partium legitime deducitur solam Romanam Communionem esse veram Christi Ecclesiam, extra quam non licet aeternam salutem assequi. Nihilominus non taedeat vos, dilectissimi Juvenes, si parumper immoramur in colligendo aliqua antecedentia, ut directe concludamus de tam necessaria veritate. Itaque sit.

PROPOSITIO XXIV.

Sola Romana Communio est vera Christi Ecclesia.

246. Demonstratur. In Romana Communione mirifice quadrant omnes verae Christi Ecclesiae notae superius recensitae. Et quidem una ipsa est non solum unitate doctrinae, sed etiam unitate regiminis; unitate doctrinae, quia unam, et eamdem omnino docet, et servat; et regiminis, quia unum ipsa agnoscit supremum Caput, Romanum Pontificem, ut legitimum Apostoli Petri successorem. Sancta quoque ipsa est, nedum quia multa ejus membra sancta sunt, sed maxime quia sancta omnino est doctrina, quae eadem prorsus est, ac illa, quae ab Apostolis vel scripta vel voce tradita fuit, nec unquam aliquid vel minimum illi additum est, vel imminutum. Tertio catholica ipsa est: etenim nulla Regio est neque in Europa, neque in aliis terrae partibus, in qua Deo non praestetur Religionis cultus sub Romanae Ecclesiae communione. Tandem et vere Apostolica dicenda est, non solum quia successionem Pastorum habet immediate a Petro, et serie continuata,

et nunquam interrupta ; sed etiam quia nullum novum dogma in illam receptum est , neque rejectum. Quinimo adeo rigorose id semper servatum est , ut propterea , nullo habito respectu potentissimorum Principum, neque illorum minis deterrita , semper haereses damnaverit , et multos Novatores ex suo sinu rejecerit. Ergo Romana Communio est vera Christi Ecclesia.

247. Confirmatur. Una omnino esse potest doctrina divinitus revelata. Ergo omnium Christianorum Communionum, quae doctrinam essentialiter diversam profitentur , una tantum est vera Christi Ecclesia , caeterae vero falsae. Sed essentialiter diversa est omnium doctrina , et omnes demonstratae sunt falsae. Ergo sola Romana Communio etc.

Solvuntur nonnullae objectiones.

247. *Ob.* In Romana Communione multae sunt Theologorum Sectae , quae non secus ac Reformatores, acriter pugnant inter se diversas doctrinas sustinendo. Ergo una non est unitate doctrinae , et quia deest illi princeps nota : propterea vera dici non potest. Secundo. Nec sancta ipsa est sanctitate doctrinae , quia varios , et diversos amplectitur Religiosorum Ordines, quia saepe contra naturae legem , quae a Deo est , nimiam severitatem profitentur , et salutis discrimine servant. Tertio Catholica nullimode dici potest , quia si Italiam excipias , in aliis Regionibus , Communio Romana multo minor est , ac aliae Sectae , praesertim Religio Mahumetanorum. Quarto. Sed quomodo sancta dici

poterit, si caput habet Romanum Pontificem Regem, contra doctrinam Christi Lucae cap. XXII. *. 25. *Reges Gentium dominantur eorum . . . Vos autem non sic*? Ergo si nulla ex verae Ecclesiae notis invenitur in Romana communione, nullimode ipsa dici potest vera Christi Ecclesia.

248. *. ad singula. Et ad primum dicimus, quod doctrina, quae a variis Theologorum Sectis discutitur, et in qua non convenit inter illos, non pertinet ad veritates, et dogmata Fidei: in his enim perfecte inter se conveniunt, et omnes unitis armis contra Haereticos pugnant. Nec caeteroqui vanus, et inutilis est illorum labor in suis disputationibus, quia inservit ad inveniendam, et discutiendam divinam doctrinam voce traditam. Sed quae comparatio cum Novatoribus si in essentialibus isti pugnant inter se et animo tam obstinato, ut nec auctoritas Regis Prussiae Friderici II eorum protectoris efficere potuerit, ut convenirent in una communi professione Fidei?

249. Ad secundum respondemus, quod aperta calumnia est asserere Religiosorum Ordines saepe contra naturae leges nimiam profiteri severitatem. Etenim illorum vota communia, obedientia scilicet, paupertas, et castitas illos reddunt veros sectatores Christi Redemptoris. Nunquid naturae legis violator Christus, qui non venit solvere legem, sed adimplere? Nec abstinentia, humilitas, et caeterae corporis afflictationes contra naturae legem dicendae sunt, quia, dum tamen moderatae sunt, saluti non officiunt, sed potius prosunt, et simul affectus coercent carnis, quae spiritui semper re-

sistit. Sed nunquid propterea debilior est salus, et brevior vita Religiosorum?

250. Ad tertium dicimus, quod ad universalitatem non requiritur, ut in omnibus omnino locis, et eo minus ut in illis tamquam dominans, Romana Communio inveniatur: sed sufficit, ut sit in omnibus terrae partibus, uti revera invenitur, licet non dominans, nec publica, sed tolerata saltem, aut occulta.

252. Ad ultimum. Ecclesia in iis, quae ad Religionem Christi pertinent, non agnoscit Romanum Pontificem veluti Regem super ea, quae ad humanam societatem spectant, sed tantum veluti Supremum pastorem animarum, quae a Christo redemptae fuerunt. Quod si etiam temporale regnum moderatur Romanus Pontifex, id habet ex munificentia piorum veterum Imperatorum, et quidem eodem jure, quo caeteri Reges suum regnum possident. Itaque duplicem personam Romanus Pontifex repraesentat, scilicet successorem Petri, et Christi, et Regem Romanae Nationis. Ut Successor Petri jus habet moderandi ea, quae ad fidem pertinent, et ut Rex habet jus moderandi humanam Societatem. Et quamvis in eadem persona duplex istud jus resideat, tamen non ut est Rex gubernat Christi Ecclesia, nec ut est successor Petri gubernat temporalia Romanae Nationis. Nec id ex allato Lucae testimonio Christi Ecclesiae repugnat. Ibi enim tantummodo Christus spiritum humilitatis, et patientiae docet discipulos. Dicendum ergo, quod sola Romana Ecclesia etc.

253. Et haec dicta sufficiant de Christi Ecclesia brevis institutionis rationem persequendo. Verum pro ve-

stro commodo, dilectissimi Juvenes, non sit vobis grave audire summatim praecipuas haereses, quae semper, veluti procellosi aquilones, sanctam Petri naviculam adversati sunt. Sit itaque.

BREVIS APPENDIX

De Haeresibus, quae omni Saeculo vexarunt Christi Ecclesiam.

254. Itaque ipso tempore Apostolorum prima, et maxima omnium fuit haeresis Simonis Magi. Pessimus iste Haereticorum antesignanus male ferens repulsam sibi ab Apostolo Petro factam, a quo pecunia numerata emere volebat spiritualem potestatem, abhorret animus referre, quae monstruosa evomuerit. Primo docuit duo esse rerum omnium principia, unum bonum, malum alterum. 2. prorsus negavit Trinitatem personarum in Divinis. 3. legem mosaicam tribuit Deo malo, a qua postea Deus bonus nos redemit assumens humani Corporis non realitatem, sed solam imaginem. Tandem extra modum superbiens eo dementiae lapsus est, ut se dixerit Deum, qui Samaritanis apparuerat ut Pater, Judaeis ut Filius, et Gentibus ut Spiritus Sanctus.

In eodem primo Saeculo fuerunt Cerinthus, et Hebion, qui dixerunt legem Moysis adhuc necessariam esse, et Christum esse purum hominem natum juxta naturae legem a Maria, et Joseph.

SAECULO II.

255. Carpocrates sequens Vestigia Simonis, et Cerinthi docuit mundum creatum fuisse a Deo malo, et Christum genitum esse, ut caeteri homines.

Valentinus excogitavit a summo Deo primo prodiisse triginta caelestes substantias, quas placuit appellare *Æonas*: et docuit Christum non assumpsisse verum humanum corpus, sed aethereum. Innumeros habuit Sectatores, inter quos Helcesaeos, qui Christum dixerunt purum hominem, et Spiritum Sanctum ejus Sororem.

Cerdon invexit in Italiam systema duorum principiorum. Et Marcion ejus discipulus addidit legem, et Prophetas, et praeceptum quoque Adae factum, fuisse a Deo malo: et Christum non assumpsisse humanum corpus, sed solam imaginem.

Et Montanus dixit se esse Spiritum Sanctum. Vetavit secundas nuptias; et negavit Ecclesiae potestatem graviora scelera dimittendi.

SAECULO III.

256. Praxea negavit Trinitatem Personarum in Deo. Ejus discipuli, inter quos fuit Sabellius, ex Ptolemaide, et Paulus Samosatenus, alii docuerunt Christum fuisse purum hominem, etsi singulari virtute donatum; et alii dixerunt unicam personam, quae est in Deo, fuisse incarnatam, et dicti fuerunt Patripassiani.

In hoc saeculo fuit celeberrimus Manes Persa, sive

graece Manichaeus, qui tanto zelo promovere studuit systema de duplici principio bono, et malo, ut ejus proprius factus sit error iste.

SAECULO IV.

257. In hoc saeculo fuerunt Donatistae sic dicti a Donato. Hi asserebant irrita esse Sacramenta ab improbis ministris collata. Item dicebant Christi Ecclesiam defecisse in toto orbe, et solum reperiri in Africa apud Donatum.

Arius dixit Verbum fuisse creatum, licet per ipsum postea caetera omnia facta sint. Ejus discipuli alii dicti fuerunt *Anomoei*, qui docebant Verbum esse Patri dissimile, et alii Semiariani, qui fatebantur quidem Verbum Patri simile, sed negabant esse consubstantiale.

Macedoniani negarunt Spiritus Sancti Divinitatem.

Photinus docuit Christum fuisse purum hominum, nec extitisse ante sui Matrem Mariam.

Apollinaris dicebat Verbum assumpsisse solum corpus, sine anima humana.

Helvidius Mariae Virginitatem denegavit. Et ejus discipulus Jovinianus damnavit Castitatem, omnia peccata fecit aequalia, et propterea aequales quoque poenas, et etiam praemia bonorum operum.

In hoc saeculo fuerunt Antropomorphitae, qui humanum corpus Deo tribuebant.

SAECULO V.

258. In hoc saeculo fuit Pelagius acerrimus divinae gratiae hostis. Itaque primo negavit transfusionem peccati originalis, dicens quod Adam peccando sibi soli nocuit. 2. ex hoc principio naturaliter inferebat, pueros non privari vita aeterna, si absque Baptismo discessissent. 3. dicebat, mortem, ignorantiam, et concupiscentiam esse effectus naturae, non vero consequentias Adae peccati. 4. sustinebat sine actuali auxilio gratiae supernaturalis totam legem servari posse, et vitari omnia peccata, etiam venialia.

Massilienses moderati sunt Pelagii errorem, et solum retinentes, quod homines non praeveniuntur a gratia, saltem ad initium fidei, et salutis desiderium, in multis non dissentiebant a Catholicis; et ipsi dicti fuerunt *Semipelagiani.*

Eutyches unam asseruit in Christo naturam, et hanc dicebat vel divinam, vel permixtam ex utraque.

SAECULO VI.

259. Nulla fuit nova haeresis in hoc Saeculo, et solum in suis Sectatoribus percrebuit Eutychiana, inter quos *Teitheistae* dicebant tres Divinas Personas esse tres Divinas Naturas, profecto ex illo Eutychiano principio, quod tot sunt naturae, quot personae.

SAECULO VII.

260. Monothelitae Eutychetis Sectatores unam in Christo agnoverunt voluntatem.

In hoc saeculo vixit percelebris Syncophanta Mahumetes, qui callide simulans se ab Angelo Gabriele edoctum, illum edidit pestiferum Alcoranum, qui ex veteri, et novo testamento maxima inscitia conflatus, tot continet absurda in philosophia, in jure Naturae, et in negotio Religionis, ut nihil pejus excogitari possit. Et tamen tot Sectatores nactus est, ut per Saecula mirum in modum vexaverit Christianam Religionem.

SAECULO VIII.

261. Praecipui Haeretici hujus Saeculi fuerunt Iconoclastae qui veluti idolatricum damnarunt omnem religiosum cultum Sacrarum Imaginum.

Elipandus docuit Christum esse filium Dei adoptivum.

SAECULO IX.

262. Photius auctor Schismatis Graecorum negavit processionem Spiritus Sancti a Patre, et Filio.

In hoc Saeculo audita est haeresis praedestinatiorum, qui docuerunt homines juxta suam praedestinationem sive ad vitam, sive ad mortem, necessario vel bonum, vel malum operari. Verum tamen quod non desunt, qui opinantur id fuisse figmentum Semipelagianorum.

Tandem Joannes Scotus Erigena negavit in Eucharistia reperiri verum Corpus, et Sanguinem Christi.

SAECULO X.

263. Nulla nova haeresis fuit in hoc Saeculo.

SAECULO XI.

264. Berengarius negavit panem, et vinum in Eucharistia converti in corpus, et Sanguinem Christi.

Ipsum tamen poenituit sui erroris, et mortuus est Catholicus.

Michael Caerularius docuit Spiritum Sanctum a solo Patre procedere: et sic confirmatum fuit Schisma Graecorum.

SAECULO XII.

265. Fuerunt novae et enormes haereses. Et quidem primo Tanchelinus se fecit Filium Dei, et quasi Deo, obscoena praesertim essent grata, omne genus libidinum et docuit, et exercuit.

2. Petrus de Brutis cum Henrico rejiecerunt vetus Testamentum: bellum indixerunt crucibus, et Sacris imaginibus: destruebant Sacra Templa, et rejecerunt sacras preces, et etiam Sacrificium Missae cum consecratione Sacerdotum.

3. Petrus Waldus, a quo habemus Waldenses, quamvis rigidiorem vitam, maxime Evangelicam pauperta-

tem, profitebatur, tamen ausus fuit dicere Romanam Ecclesiam jam defecisse sub Papa Sylvestro, Sacramenta irrite confici a Sacerdotibus in peccato, quae tamen valide ministrantur a laicis piis.

Multi alii in hoc Saeculo fuerunt spurcissimi errores, quos abhorremus referre.

SAECULO XIII.

266. Novae quoque haereses fuerunt in hoc saeculo. 1. *Almaricus* docuit, antiquam Moysis legem cessasse in morte Christi: in sui tempore cessasse ipsius Christi legem; et modo locum habere legem Spiritus Sancti. Inde inferebat, quod non amplius snnt necessaria Sacramenta, et alia Christianae Religionis officia, quia homines salvantur sola interiori gratia, si tamen fide divina credant se esse membra Christi. Sed illius discipuli addiderunt Eucharistiam esse simplicem panem, et vinum: Romam dicebant Babylonem, et Romanum pontificem Antichristum.

2. Fuerunt qui quamdam impudicissimam feminam nomine *Guilelminam* dixerunt esse Spiritum Sanctum Incarnatum.

3. David de Dinando dixit Deum esse materiam primam.

4. Fuerunt quoque apud Sassones, qui execrabantur Deum, et colebant Diabolum.

SAECULO XIV.

267. Apparuerunt ***Fraticelli***, alio nomine ***Bjzochi*** ex ordine Divi Francisci Apostatae. Duplicem isti di-

stinguebant Ecclesiam, alteram Carnalem, quam Rom. Pontifex Divitiis affluens regit, et Spiritualem alteram, quae erat apud seipsos. Plures alios errores docebant ex haeresi Waldensium. Hos incredibili zelo insectatus fuit D. Jacobus Picenus decor ejusdem ordinis Minorum.

Plurimi alii Haeretici fuerunt in hoc Saeculo, praesertim Lothardi, et Wicleffiani. Illi in Austria laudibus extollebant Angelos rebelles, quorum nomine suam deprecabantur salutem, et maledicebant Angelis bonis, et etiam Virgini Mariae. Et Wicleffiani in Anglia Romanam Ecclesiam vocabant Synagogam Diaboli. Praecipui Joannis Wicleffi errores continentur in quadraginta articulis, qui damnati fuerunt in Concilio Constantiensi.

SAECULO XV.

268. Joannes Hus, et Hieronymus pragensis acerrimi Wicleffi Sectatores Magistri erroribus addiderunt, quod Christi Ecclesia constat ex solis praedestinatis, et consequenter illam esse invisibilem.

SAECULO XVI.

269. Martinus Lutherus Ordinis S. Augustini Apostata mirum in modum turbavit Ecclesiae pacem profundamentali principio pessimi sui Systematis statuit spiritum privatum pro legitimo interprete Sacrarum Scripturarum. Callidus iste Haereticus ut facilius defendere posset suas blasphemias contra potestatem Ecclesiae dispensandi indulgentias, ex medio abstulit Divinas Tra-

ditiones, et pro fidei regula solam admisit Sacram Scripturam. Quinimo ut de aliis praeconceptis erroribus revinci non posset, nonnullos rejecit sacros libros, et caeterorum legitimum interpretem posuit Spiritum privatum.

Quae monstra ex hoc perniciosissimo principio nasci debuerint quisque praevidit, et experientia jam confirmavit. Huic sane totum innititur ipsius Systema contra Ecclesiam, numerum Sacramentorum, Missas privatas, Sanctorum invocationem etc., quae omnia non constant ex Scripturis; et caetera, quae docuit contra veram justificationem, quia ad arbitrium scripturas interpretabatur.

Utinam et sic res permansisset! Primi Lutheri Sectatores fuerunt Calvinus, Zwinglius, Bucerus etc. Et quoniam ducebantur ab eodem principio *Spiritus privati*, necessario, sed semper in pejus, in multis etiam fundamentalibus articulis a Luthero dissentierunt.

Ex eodem principio, ut omittamus caeteros, uterque Socinus, Lelius, et Faustus ducti, omnes renovarunt cujusque Saeculi hereses. Et postquam omnia corruperunt Christianae Religionis dogmata, ad Naturalismum direxerunt gressus, et viam posteris praepararunt.

SAECULO XVII.

270. Semper progrediendo creverunt errores ex infaustissimo Lutheri principio.

In hoc Saeculo fuerunt etiam Bajus, et Cornelius Jansenius, licet hic mortuus sit Catholicus, ut appa-

ret ex testamento a seipso dictato die sexta Maii 1638 media hora ante mortem. In ipso enim legitur. *Si tamen Romana Sedes aliquid mutari (in suis scriptis) velit, sum obediens filius, et illius Ecclesiae, in qua semper vixi usque ad hunc lectum mortis obediens sum.*

SAECULO XVIII.

271. In hoc Saeculo firmatim visi sunt, qui ex eodem foecundissimo errorum Lutheri principio funditus evertere conati sunt Christi Religionem, Quakeri in Anglia, Illuminati in Hispaniis, Spinosistae, Lokiani etc.

SAECULO XIX.

272. Ecclesia in hoc Saeculo videtur frui sua pace. Sed revera sub cinere pacis veracissimus latet ignis. Novatores jam sunt in magno motu, ut Naturalismus ultimus effectus principii Lutheri altius immittat radices in cordibus hominum, vel saltem ut in negotio Religionis undique recipiatur theologica indifferentia, seu potius ut Religionis cultus habeatur, ut simplex politicus actus. Quis inde non timebit Atheismum? Rogamus ergo Misericordiarum Patrem, ut sinceram, et stabilem dignetur reddere nostram pacem dissipans consilia impiorum.

PARS IV.

DE CONCILIIS.

273. Concilium latine, graece Synodus, et hebraice Synedrium, juxta nominis vim significat convocationem hominum utique ad aliquem finem directam. Et quoniam ex nulla convocatione hominum quivis propositus finis obtineri potest, nisi sit qui convocet, et convocatos dirigat, idcirco in re nostra Concilium est convocatio Ministrorum Ecclesiae sub legitimo capite ad fidei controversias dirimendas, aut saltem ad morum regulam proponendam.

274. Concilia esse possunt vel generalia, sive Oecumenica, vel particularia. Generalia dicuntur illa, ad quae sub supremo capite congregantur, vel saltem vocantur, totius Christi Ecclesiae proceres, sive Episcopi. Particularia autem vel sunt nationalia, vel provincialia, vel dioecesana, prout vel sub patriarcha, aut primate congregantur omnes alicujus nationis Episcopi, et Archiepiscopi; vel congregantur sub Archiepiscopo omnes Episcopi alicujus provinciae; vel sub Episcopo convocantur ecclesiarum peculiarum Rectores, aliique Dioecesis presbyteri, prout Episcopo videtur.

Quoniam particularia Concilia universam non repraesentant Ecclesiam, et propterea illorum decreta, nisi accedat universae Ecclesiae consensio, nonnisi unam tantum nationem, provinciam; aut Diocesim obligant, idcirco nullus de his erit sermo in nostris Institutionibus.

275. De solis ergo Conciliis generalibus in hac quarta parte disputabimus. Et quidem primo videbimus, quis habet jus convocandi concilia Oecumenica, et item praesidendi: Secundo, quinam ex jure avito jus habent ferendi judicium decisivum in iisdem Conciliis: tertio quantae auctoritatis sint illorum canones: Et tandem quot ipsa fuerint. Itaque sit.

PROPOSITIO XXV.

Solus Romanus Pontifex ordinaria auctoritate jus habet convocandi Concilia Generalia, et in illis sive per se, sive per suos legatos praesidendi.

276. *prob.* prima pars. Romanus Pontifex, ut inferius videbimus, uti Petri Principis Apostolorum successor, est [illegible] totius visibilis Christi Ecclesiae caput. Sed ad caput pertinet providere, quae ad totum corpus necessaria, aut utilia videntur. Ergo ad Romanum Pontificem spectat jus convocandi concilia Generalia. Et quidem vel forma regiminis Ecclesiae consideratur velut monarchica, vel ut melius videtur, ut monarchica aristocratica. Sed tam in illa, quam in ista, ad solum Regem spectat convocare concilia generalia, quae sunt veluti comitia procerum, seu pastorum, totius Ecclesiae. Ergo etc.

277. Diximus *ordinaria auctoritate*, ut excipiatur casus, si sede vacante summae necessitatis sit convocare Concilia generalia, aut si veluti vacaret, cum si ex pluribus electis in summum pontificem non constat, qui

sit legitimus, aut etiam, si fieri possit, in manifestam haeresim personalem, Romanus Pontifex sit delapsus (1). Tunc enim, prout in sede vacante, ad coetum Cardinalium jus devolvitur convocandi concilia, sicut ad Canonicos jus et jurisdictio Episcopalis.

278. *Prob. secunda pars.* Sane nullus in dubium revocare audet, quod qui jus habet convocandi comitia generalia, et majori effulget auctoritate, idem jus quoque habet in illis praesidendi. Sed Romanus Pontifex, ut demonstratum est, jus habet convocandi concilia generalia, et ut supremus Ecclesiae Pastor majori pollet auctoritate. Ergo ad eumdem spectat in illis praesidere. Et id confirmatur ex facto, quoniam ita semper servatum est, nemine unquam obsistente, aut reclamante.

279. Diximus *sive per suos legatos*, quia cum ordinaria sit haec potestas Romani Pontificis, utique, cui placet, potest delegare.

Solvuntur nonnullae Objectiones.

280. Octo priora generalia Concilia in Oriente; scilicet Nicaenum contra Arium, Constantinopolitanum primum contra Macedonium, Ephesinum primum contra Nestorium, Chalcedonense contra Eutychetem, Constantinopolitanum secundum, et tertium, Nicaenum secundum contra Iconoclastas, et Constantinopolitanum

(1) Diximus personalem, nam ut suo loco videbimus, fieri non potest, ut summus Pontifex ex Cathedra, seu ut caput Ecclesiae, Ecclesiae ipsi universali Haeresim credendam proponat.

quartum contra Photium, ista omnia non a Romano Pontifice, sed ab Imperatoribus convocata fuerunt. Ergo ad Imperatores potius, quam ad Romanum Pontificem spectat convocare Concilia generalia.

*. Orientis Imperatores non jure proprio, sed rogati a Romanis Pontificibus Concilia convocarunt. Pluribus autem de causis Romani Pontifices illos rogarunt. Et primo, quia Imperatores legem sanciverant, ne conventus in suo imperio fierent, sine consensu ipsorum: Secundo, quia in illis temporibus non erat tam dives Ecclesia, ut necessarios sumptus sustinere potuisset: Tertio, ut sua auctoritate Imperatores ad Concilia cogerent respuentes, et rebelles, et obstinatos Haereticos ad obedientiam compellerent, et continerent in officio.

281. *Ob.* contra secundam partem. Et primo. Concilio Nicaeno primo non praefuit Sylvester Papa, ut dicitur, per suum legatum Osium Episcopum Cordubensem, sed vel Eustathius Episcopus Antiochenus, ut tenet Lutherus; vel Athanasius, ut contendit Calvinus; vel Imperator ipse Constantinus, ut opinantur multi.

2. Item ex Scriptoribus constat, Damasum Papam nec per se, nec per suos legatos praesedisse in primo Concilio Constantinopolitano.

3. Ut legitur in Operibus Vigilii Episcopi, Constantinus Imperator praecepit, ut ab Athanasio, et Ario haberetur disputatio de rebus fidei coram docto laico a se designato. Cur id? Non alia de Causa, nisi quia ad Imperatorem spectat providere de rebus, quae ad fidem pertinent.

4. Idem Constantinus similem praecepit disputationem

fieri a Sylvestro Papa cum Judaeis, praesidentibus tanquam Judicibus, nonnullis Senatoribus.

Tandem Imperator Theodosius jussit Catholicos, Arianos, et Eunomianos quosque exhibere suae fidei professionem; et grates Deo, quod ex illis catholicam adprobavit, et rejecit caeteras. Ergo etc.

182. ℟. Somnia haec sunt Haereticorum. Et quidem ad primum, quod attinet Eustathius non legitur primus in subscriptionibus Episcoporum, licet illius senectuti, et Sanctitati tributus fuerit honor, ut digniori loco sederet. Simili modo, ac Lutherus, mentitur Calvinus. Athanasius non legitur in subscriptionibus: et recte quidem, quoniam ipse ut Diaconus comitatus est suum Episcopum ad Concilium. Et id constat ex ipsius Epistola ad Solitarios, in qua scribit Osium Episcopum Cordubensem praesedisse in Concilio Nicaeno. Sed et quomodo praesidere potuit ipse Imperator, si post omnes Episcopos se subscripsit, et id quidem non ut judex sententiam ferens, sed ut testis, et protector, et etiam protestatus fuit, se subjectum esse Episcopis, et dignum ab eisdem judicari?

183. Ad secundnm dicimus, quod licet Baronius, et alii nonnulli contendant, legatos missos fuisse a Damaso Papa ad illud Constantinopolitanum Concilium, tamen communior sententia est, quod dum Damasus Romae Concilium habebat contra Macedonium, qui negabat Divinitatem Spiritus Sancti, eodem in tempore, et eadem de causa, Theodosius Imperator jussit haberi Concilium Constantinopoli: ad quod cum nec Episcopi Occidentis convenerint, nec Romanus Pontifex suos

legatos miserit, illud concilium ab initio non fuit generale, sed nationale. Sed postea factum est generale, cum et Episcopi Occidentis venerunt, et suos legatos misit Romanus Pontifex.

284. Ad tertium. Disputatio, de qua loquitur, non praecepta fuit ab Imperatore, sed Vigilius illam finxit ad Haereticos refutandos. Sed etiam dato, quod Imperator illam jusserit, quid inde? Jussit, ut videret ipse ex qua parte esset veritas, non vero quasi jus haberet ferendi sententiam de rebus fidei. Et haec quidem responsio valet ad dissipandum quod quarto loco objicebatur.

285. Ad ultimum respondemus, Theodosium id fecisse, non quia voluit sibi rerum fidei causam vindicare, nimis enim adhaerens erat Fidei Nicaenae; sed ut validius Haereticos perstringeret, postquam legerit, et examini subjecerit illorum errores.

PROPOSITIO XXVI.

Episcopi solum ex jure avito ferre possunt judicium decisivum in Conciliis Generalibus.

286. *Prob.* In Conciliis Generalibus illa proprie discutienda, et definienda proponuntur, quae ad Ecclesiae fidem et regimen pertinent. Sed Ecclesiae regimen jure avito ad solos Episcopos pertinet, ut habemus ex Apostolo Paulo Actorum Cap. XX. ✝. 28. *Attendite vobis, et universo gregi, in quo Spiritus Sanctus posuit vos Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam*

acquisivit Sanguine suo. Ergo etc. Id confirmatur ex perpetua consuetudine servata in omnibus conciliis, quorum acta Episcopi tantum subscripserunt illa formula. *N. N. Episcopus definiens subscripsit.*

287. Verum quidem, quod saepe ad concilia advocati quoque, et admissi fuerunt insignes Theologi, et viri Sanctitate illustres, quinimo usus invaluit vocandi superiores Generales Ordinum Religiosorum. Sed hi omnes vel solum suffragium consultivum protulerunt, vel si etiam definitivum, id ex peculiari gratia et privilegio pro bono Ecclesiae factum est. Et propterea in propositione diximus *ex jure avito.*

Satisfit objectis.

288. In primo Concilio Apostolorum una cum illis interfuerunt etiam laici, qui utique, quae ad fidem pertinebant discusserunt, et definierunt. Sic enim legimus in Actis Apostolorum cap. XV. ℣. 6. *Convenerunt Apostoli, et Seniores videre de verbo hoc* et inde ℣. 22. concluditur. *Placuit Apostolis et Senioribus, cum omni Ecclesia.* Ergo in Conciliis jus ferendi sententiam ab ipsa institutione conciliorum non solum spectat ad Episcopos, sed ad simplices quoque presbyteros, quinimo ad omnes fideles.

℟. Quamvis concedamus per Seniores in objecto testimonio intelligi presbyteros, et non Episcopos ab Apostolis consacratos, nihil tamen inde deduci potest contra nostram Thesim. Dicimus enim non eadem de caussa, et cum eadem auctoritate convenisse Apostolos, et

Seniores, sicut postea ad alia Concilia convocantur Episcopi, et Theologi. Seniores enim convenerunt, sicut nunc conveniunt Theologi, ad discutiendum, non vero ad definiendum, scilicet ut consultores, non ut Judices. Nec obstant verba posteriora. *Placuit Apostolis, et Senioribus cum omni Ecclesia.* Ipsa enim tantummodo indicant libentissime Seniores, et omnem Ecclesiam accepisse sententiam Apostolorum definientium.

289. *C.* Quae in Conciliis generalibus proponuntur, et definiuntur ad universam aeque pertinent Ecclesiam. Ergo omnes de Ecclesia jus habent illa discutiendi, et definiendi.

℟. Utique quae proponuntur in Conciliis ad universam pertinent Ecclesiam, sed non quidem eodem modo. Ad Episcopos enim spectant ut Doctores et Magistros, et ad alios ut discipulos tantum; ergo Episcopi debent definire et proponere, quae ad fidem pertinent; et alii debent recipere, retinere, et servare. Non omnes enim Christus in sua Ecclesia posuit ut Doctores, et pastores.

290. *C.* Atqui omnes etiam de populo jus habent sententiam definitivam ferendi in Conciliis Generalibus. Ergo etc. *Prob.* Nulli dubium quin Concilium Generale universam repraesentat Ecclesiam. Ergo quisque de Ecclesia par jus habet scrutandi, et definiendi.

℟. Comititia generalia Nationum, maxime in quibus forma regiminis est monarchica democratica, utique totam repraesentant Nationem, et quivis de populo facultatem habet astandi. Sed nunquid quivis de populo jus habet ferendi sententiam? Itaque Concilium Generale universam repraesentat Ecclesiam docentem, non

vero instruendam, sicut Comitia repraesentant Nationem leges ferentem. Et quidem Christus dedit Apostolos, et Episcopos ut Pastores, qui doctrina fidei pascere debent oves, idest caeteros fideles. Ergo quia in Conciliis pertractantur quae pertinent ad Ecclesiam docentem, Episcopi tantum, qui sunt Pastores, jus habent in illis sententiam ferendi.

291. *Inst.* Nicolaus primus in Epistola ad Michaelem scripsit, Imperatores aliquoties interfuisse Conciliis, quia in illis agebatur causa Fidei, quae omnibus communis est. Ergo omnes de Ecclesia, etiam laici, jus habent interesse, et ferre sententiam in Conciliis.

R. Ad omnes sine dubio pertinet causa fidei, et quia ipsa agitur in Conciliis, idcirco ad omnes quoque Concilia pertinent: verum non eodem modo. Pertinet ad Ecclesiam docentem, nempe ad Episcopos, qui dati sunt Pastores, videre, quae sit vera doctrina Christi; et pertinet ad populum, nempe ad oves, quae pascendae sunt, amplecti, et tueri quoque pascua coelestia ipsis a Pastoribus proposita. Et quoniam Imperatoribus id datum est, idcirco Episcopi intersunt Conciliis, ut definiant doctrinam fidei, et Imperatores ut illam sic definitam tueantur, et sua auctoritate servandam curent. Haec, et non alia, est sententia Nicolai primi ad Michaelem.

PROPOSITIO XXVII.

Decreta Conciliorum Generalium in iis, quae ad Fidei doctrinam pertinent, sunt infallibilia.

292. *Prob.* Concilia Generalia universam repraesentant Ecclesiam, in illa enim conveniunt, vel saltem vocantur omnium peculiarium Ecclesiarum Pastores cum supremo Capite Romano Pontifice. Sed universa Christi Ecclesia est infallibilis in iis, quae ad Fidem, et etiam mores pertinent (180). Ergo etc. Et requidem vera: si in iis, quae ad fidem pertinent, Generalia Concilia possent errare, necessario quoque in iisdem tota erraret Ecclesia; et propterea non amplius tunc esset vera Divina Religio, vera Christi Ecclesia, quoniam quae vel in uno essentiali errore versatur, ut in primo libro dictum est, vera Divina Religio non est, neque vera Christi Ecclesia, quae quia sola a Deo nec deficere, nec errare potest. Sed ut pluries demonstratum est non potest deficere verus Religionis cultus, vera in omnibus sui partibus Doctrina a Deo revelata. Ergo Doctrina Conciliorum etc.

293. Nihil est, ut immoremur in hac demonstranda de fide veritate contra praesertim Lutheranos, et Calvinistas. Si Ecclesia est infallibilis, nunquid alibi invenire fas est Ecclesiam, quam in Conciliis generalibus, in quibus sub legitimo supremo Pastore omnes conveniunt pastores ecclesiarum peculiarium? Procul dubio cum infallibilis dicitur Christi Ecclesia in iis, quae

ad Fidem, et mores pertinent, id intelligitur de Ecclesia docente, sive de omnibus Pastoribus. Sed Concilia generalia sunt Coetus omnium pastorum sub legitimo Supremo Capite. Ergo si in hoc Coetu vel solum suspicari fas esset non haberi totam Ecclesiam docentem, vana prorsus, et illusoria esset infallibilitas a Christo tam solemniter Ecclesiae adpromissa: actum esset de vera fide; et actum de quocumque vero Religionis cultu erga Deum. Proh stulta contradictio!

299. Hanc veritatem Haeretici ipsi libenter fatentur, et solum saepe clamant contra legitimitatem Conciliorum, ut praesertim pervicaces Novatores, quamvis protestantes appellari desiderent. Quapropter potius juvat, videre, quae requiruntur, ut Concilia generalia legitima dicantur.

295. Itaque ut Generale Concilium recte se habeat, primo requiritur, ut Supremus Pastor Romanus Pontifex, aut ipso postulante, quivis alius, omnes vocet peculiarium Ecclesiarum Pastores, nemine excepto, etsi necesse non est, ut reipsa conveniant omnes, sed sufficit, ut conveniant plures. Secundo necesse est, ut Romanus ipse Pontifex vel per se, vel per suos Legatos, in Concilio praesideat. Tertio, necessario debent audiri illi, contra quos concilium habetur, quia injustum videtur, ut quis damnetur non auditus, nec defensus. Quod si vocati nolint obedire, tunc damnantur etiam absentes. Quarto, liberi esse debent Patres in suis ferendis Sententiis, nec ullis minis perterriti. Quinto non sufficit solum proponere aliquam sententiam sive ut damnetur, sive ut subscribatur, sed necesse est, ut

prius, invocato Spiritu Sancto, examinetur, et discutiatur. Tandem acta in Concilio subscribi debent ab eo, qui praesidet, et ab omnibus Episcopis. Si deest subscriptio illius, qui praesidet, Concilium non est adprobatum, et illius acta non obligant. Quod si aliqui ex Episcopis renuant subscribere, id nihil officit legitimati Concilii.

296. *Monitum.* Objectiones contra superiorem thesim ideo omissae sunt quia sunt eaedem ac illae, quas supra contra infallibilitatem Ecclesiae attulimus. Quod si quis aliqua decreta nonnullorum Conciliorum objiciat, quae vel sunt contra decisiones praecedentium Conciliorum, vel a posterioribus rejecta; responsio erit, quia vel omnino illa Concilia illegitima fuerunt, vel ex aliqua tantum parte, ex defectu scilicet conditionum, quas modo diximus. Maxima autem conditio est adprobatio Supremi Capitis Romani Pontificis; quocirca si Concilium vel totum, vel in partem a Romano Pontifice rejectum fuerit, totum pariter, vel in partem erit illegitimum. Et inde factum est, ut nonnulla Concilia, ut videbimus, vel integra, vel in partem fuerint rejecta. Monstruosum enim est, ut legitima fiat actio sine consensu Capitis. Et propterea additur.

Numerus Conciliorum Generalium.

297. Multa numerantur Concilia Generalia, nempe triginta unum. Verum ex ipsis octodecim fuerunt in omnibus confirmata: sex in aliquibus confirmata, et in aliquibus rejecta: Et septem omnino rejecta.

Octodecim in omnibus Confirmata.

298. Primum fuit Nicaenum habitum anno 325. sub S. Sylvestro Papa, et Constantino Magno Imperatore, contra Arianos, et Quartodecimanos. Interfuerunt 318 episcopi. Praesiderunt in hoc Concilio ut legati Romani Pontificis Osius Episcopus Cordubensis, Vitus et Vincentius Presbyteri. Duo itaque definita fuerunt, scilicet consubstantialitas Divini Verbi cum Patre contra Arium; et ut Pascha celebreretur Dominica sequente plenilunii aequinoctii verni contra Asiaticos, qui more Judaeorum illud celebrandum dicebant quartadecima die illius lunae. Insuper editi sunt viginti Canones ad disciplinam spectantes.

299. Secundum fuit primum Constantinopolitanum. Concilium istud indictum fuit a Theodosio Imperatore anno 381 eodem tempore, cum Damasus Papa Romae Concilium habebat eadem de causa, ut scilicet Macedonii haeresim contra Divinitatem Spiritus Sancti damnaret. Huic Concilio propterea non interfuerunt ab initio nec legati Romani Pontificis, nec Episcopi Occidentis, sed tantum Episcopi Orientis numero 150. Quocirca ab initio Generale non fuit, sed tale factum est, cum Damasus Papa simul cum suo Concilio Occidentali omnia illius decreta probavit. In hoc Concilio contra Macedonium de fide definita est Divinitas Spiritus Sancti et ejus processio a Patre, et Filio, quapropter in Symbolo Nicaeno addita fuerunt Verba. *Qui cum Patre, et Filio simul adoratur, et conglorificatur.*

Et confirmata Fide Nicaena iterum damnati fuerunt Ariani cum Sabellianis, Photinianis, et Apollinaristis.

300. Tertium fuit Ephesinum indictum consensu Romani Pontificis Coelestini a Theodosio Juniore anno 431. In ipso fuerunt 220 Patres; et primo praesedit Cyrillus Alexandrinus, deinde legati Romani Pontificis. In hoc Concilio damnata fuit haeresis Nestorii, qui duas asserebat in Christo personas divinam et humanam, et idcirco negabat Virginem Mariam esse veram Deiparam, ut quae solius humanae personae erat Mater. Itaque decretum fuit unionem Divini Verbi cum humanitate esse substantialem, et hypostaticam; hoc est Divinum Verbum assumpsisse humanitatem in unitate suae personae.

301. Quartum anno 451 indictum fuit a Marciano Imperatore, et illi praefuerunt Romani Pontificis legati. Adfuerunt 630 Patres. In hoc concilio damnatus fuit Eutyches, qui duas in Christo naturas confundebat, et cum ipso Dioscorus Alexandrinus, qui in Ephesino Concilio, quod latrocinium Ephesinum dictum fuit, Eutychetem absolverat. Inter canones hujus Concilii fuit ille, quo Episcopus Constantinopolitanus evectus fuit ad Patriarcham. Id aegre tulit Romanus Pontifex, quia contra canones Concilii Nicaeni; sed tacuit tamen pro bono pacis. Quinimo hoc privilegium postea confirmatum fuit in Concilio Lateranense quarto sub Innocentio tertio.

302. Quintum fuit Constantinopolitanum Secundum habitum anno 553 sub Vigilio Papa, et Justiniano Imperatore. In eo fuerunt Patres centum sexaginta Circiter. Confirmata fuerunt quatuor priora generalia Con-

cilia; et tria Capitula, et varii Origenis errores damnati fuerunt.

303. Sextum fuit Constantinopolitanum tertium celebratum anno 681 sub Romano Pontifice, et Constantino Pogonato. In ipso fuerunt plus ducenti Episcopi, quibus praesidebant Romani Pontificis Legati. In hoc concilio damnata fuit haeresis Monothelitarum, qui negabant in Christo duas voluntates, et operationes.

304. Septimum fuit Nicaenum Secundum adunatum contra Iconoclastas anno 781 sub Adriano primo Summo Pontifice, et Constantino Imperatore, et Irene cum illo regnante. Interfuerunt 350 Episcopi. Multi in hoc Concilio editi sunt Canones disciplinam spectantes, inter quos decimusquintus prohibet pluralitatem beneficiorum.

305. Octavum fuit Quartum Constantinopolitanum habitum anno 870 sub Adriano secundo R. P. Imperante Basilio Macedone. Interfuerunt 385 Patres. In hoc Concilio depositus, et exauctoratus fuit Photius, qui fraude, et prima et secunda vice deturbaverat Sanctum Ignatium a Sede Constantinopolitana.

306. Nonum fuit Lateranense Primum adunatum, ut Scribit Baronius anno 1122 sub Callisto secundo Romano Pontifice. Interfuerunt 300 Episcopi, et innumeri Abbates, et Priores. Adunatum fuit hoc Concilium contra Henricum quartum Germaniae Imperatorem, eo quod contra vigesimum secundum octavi Concilii Generalis canonem sibi vindicabat investituram beneficiorum. Actum quoque fuit de auxilio praestando Christianis contra Saracenos in Oriente.

307. Decimum fuit Lateranense secundum habitum

anno 1139 sub Innocentio secundo R. P. et Lothario Imperatore. In hoc Concilio indicto contra Leonem Antipapam nuncupatum Anacletum secundum, convenerunt mille circiter Patres inclusis Abbatibus, et Prioribus, damnati fuerunt errores Petri de Bruis, et Arnaldi discipuli Abaelardi. Inter canones ad reformandos mores clericorum est ille, qui vetat Monachis munus Advocati, et Medici.

308. Undecimum fuit Lateranense tertium adunatum anno 1180 ab Alexandro tertio R. P. Imperante Friderico primo. Hoc concilium, in quo interfuerunt 300 Episcopi, praesertim convocatum fuit contra ipsum Imperatorem, qui legitimo Papae tres alios opponebat, scilicet Octavianum, Guidum Cremensem, et Joannem Frescatensem, quorum primus appellabatur Victor primus alter Paschalis tertius, et ultimus Callixtus tertius. Idcirco decretum est, ut nullus deinceps Pontifex censeatur legitime electus, nisi convenirent duae tertiae partes Cardinalium.

309. Duodecimum fuit Lateranense quartum dictum magnum propter innumeros ferme Patres, qui ibi congregati sunt. Celebratum fuit anno 1210. Praesedit ipse Romanus Pontifex Innocentius tertius. Adfuit Patriarcha Constantinopolitanus cum Jerosolymitano, et Alexandrinus et Antiochenus suos miserunt Legatos. Interfuerunt 710 Archiepiscopi Latini, et Graeci, Episcopi 340 et octigenti circiter Abbates, Priores etc. Adfuerunt Legati Henrici Imperatoris, Friderici electi in Romanorum Regem, Philippi Augusti Regis Galliae, Joannis Angliae Regis, et multorum aliorum principum

Hungariae, Aragoniae, Cypri etc. Convocatum fuit hoc Concilium contra errores Albigentium, et nonnullos alios. In eo actum est etiam de recuperatione Terrae Sanctae. Et in uno ex septuaginta Capitibus decretum fuit, ut quivis fidelis saltem semel in anno confiteretur sua peccata, et communicaret tempore Paschali. Capita hujus concilii sunt in corpore juris, idest in decretalibus Gregorii IX.

310. Decimumtertium fuit Lugdunense primum congregatum ab Innocentio quarto anno 1245 contra Fridericum Romanae Ecclesiae persecutorem. Praesedit ipse Innocentius, et interfuerunt 140 Episcopi. In hoc Concilio concessus fuit Cardinalibus pileus rubri coloris.

311. Decimum quartum fuit Lugdunense secundum celebratum anno 1274 et praesedit ipse Gregorius X. Interfuerunt Patriarchae Constantinopolitanus, et Antiochenus, quindecim Cardinales, Septuaginta Archiepiscopi, 500 Episcopi, et ferme mille alii Abbates, scilicet priores etc. Fuerunt quoque Legati Michaelis Imperatoris Graecorum. In hoc Concilio conclusa fuit riunio Ecclesiae Graecae cum Latina, et extinto Schismate, addita fuerunt in Symbolo Missae, quae solemniter decantata fuit a Summo pontifice, verba. *Qui a Patre, Filioque procedit.* Fuit in hoc Concilio S. Bonaventura, et S. Thomas vocatus mortuus est in itinere.

312. Decimum quintum fuit Viennense in Gallia convocatum a Clemente quinto anno 1311 praefuit ipse Summus Pontifex, et interfuerunt Patriarchae Alexandrinus, et Antiochenus cum 300 episcopis. In hoc Con-

cilio damnati fuerunt errores Beguardorum, extinctus fuit Ordo Templariorum, et multa sancita fuerunt, quae sunt in corpore Juris, et dicuntur Constitutiones Clementinae pubblicatae a Papa Joanne XXII. anno 1317.

313. Sextum decimum fuit Florentinum convocatum anno 1439 sub Eugenio IV. qui et praesidebat. Primum congregatum fuit Ferrariae, sed causa pestis post sexdecim Sessiones translatum fuit Florentiam, ubi tres annos absolutum fuit. Interfuerunt 141 Episcopi. Item Joannes Paleologus Graecorum Imperator, et Josephus Patriarca Constantinopolitanus cum Episcopis Graecis. In hoc Concilio completa fuit perfecta unio Ecclesiae Graecae cum Latina. Sed Marcus Ephesinus in suam Dioecesim reversus iterum dissolvit, et Schisma adhuc manet.

314. Decimum septimum fuit Lateranense quintum adunatum sub Julio secundo anno 1512, et absolutum sub Leone X anno 1517. Adfuerunt huic plus quàm 114 patres. Convocatum fuit contra Concilium Pisanum si ita vocari fas est, adunatum contra Julium secundum ab aliquibus cardinalibus, faventibus Maximiliano Imperatore, et Ludovico XII. Gallorum Rege. Confirmatum fuit concordatum inter Gallorum Regem, et Leonem X et dissipatum fuit Schisma Pisanum. Sunt qui Concilium non habent inter Generalia.

315. Decimum octavum, quod Tridenti convocatum anno 1545 sub Paulo III contra haereses Lutheranorum et Calvinistarum, et ad mores reformandos, sed propter bella suspensum fuit: remissum a Julio tertio, et iterum intermissum, tandem absolutum fuit sub

Pio quarto anno 1563. Bellarminus lib. primo de Conciliis cap. 5 ita scribit de numero Patrum. *Adsunt sex Cardinales, quatuor Legati, Patriarchae tres, Archiepiscopi triginta duo, Episcopi ducenti viginti octo, Abbates quinque, Generales Ordinum Ministri septem, Episcoporum procuratores plurimi.* Quamvis disciplinae Capita non fuerint sollemniter recepta in Galliis, tamen tanta veneratione concilium istud receptum est ab universa Ecclesia, maxime Gallicana, ut merito habeatur pro complemento omnium Conciliorum.

Concilia Generalia non in omnibus probata.

316. Concilia Generalia partim confirmata, et partim reprobata, sunt sex. Primum est Sardicense congregatum in Bulgaria anno 351 sub Julio primo Romano Pontifice contra Arianos, qui obstinate perdere volebant Sanctum Athanasium strenuum fidei Nicaenae defensorem. Interfuerunt 374 Episcopi. Declarata fuit innocentia Athanasii, confirmata fides Nicaena, et exauctorati fuerunt aliqui Episcopi, qui Ario favebant. Sed interim Ariani alterum Concilium celebrabant Philippopoli, in quo confirmarunt haeresim Arianorum. Itaque confirmata fuerunt quae acta sunt in illo, et reprobata quae acta sunt in isto. Sed quoniam simul fere ista evenerunt, ideo quasi unum esset Concilium, dicitur partim confirmatum, et partim reprobatum.

317. Secundum est Syrmiense celebratum anno 366 sub Liberio Romano pontifice, et Constantino Impe-

ratore. De hoc Concilio sic scribit Bellarminus lib. 1. de Conc. cap. 7. *In hoc Concilio duae formulae fidei dissentientes inter se editae sunt. Unam composuit Graece Marcus Arethusius, qui postea sub Juliano illustre Martyrium pertulit; quae quidem ea esse videtur, quam Hilarius in libro de Synodis prope extremum, ut Catholicam explicat. Alteram alii composuerunt latine plenam aperta blasphemia, quam Hilarius reprehendit in libro de Synodis, non procul ab initio. In eodem etiam Concilio Photini haeresis damnata est, quam damnationem omnes Ecclesiae approbaverunt.*

318. Tertium fuit Trullanum sic dictum a Trullo amplo cubiculo palatii Imperatoris Justiniani. Dicitur quoque Quinisextum, quasi remiserit Canones pro disciplina, quos non ediderant quintum, et sextum Concilium Generale. Hoc Concilium celebratum ab Episcopis Graecis post sextum Concilium Generale, Sergio Rom. Pontifice, Romana Ecclesia non recepit, nisi solum quoad decretum de pingendis Sacris Imaginibus.

319. Quartum fuit Franco-Furtense convocatum anno 794 ab Adriano primo R. P. et Carolo Magno Imperatore contra Felicem, et Elipandum Episcopos Hispanos, qui in vero sensu Nestoriano Christum dicebant Dei Filium adoptivum. Hoc Concilium dicitur partim non probatum, quia rejecit secundum canonem Concilii Nicaeni Secundi.

320. Quintum fuit Constantiense convocatum anno 1414 a Joanne XXII ad supplicationem Sigismundi Imperatoris, sed absolutum sub Martino V. anno 1418.

Magnum Schisma a triginta circiter annis tunc vexabat Ecclesiam. Tres numerabantur Papae, scilicet Joannes XXII. Gregorius XII; et Petrus de Luna. Primi duo pro bono pacis libere abdicaverunt: Sed non sic tertius, qui usque ad mortem permansit Antipapa. Itaque Martinus electus in sessione 41 anno 1417 probavit ultimas Concilii Sessiones, sed reprobavit priores uti contrarias auctoritati Romani Pontificis. In hoc Concilio damnati fuerunt Wiclefus, et Joannes Hus cum Hieronymo illius discipulo.

321. Sextum fuit Basiliense congregatum anno 1431 contra errores Boemorum, defectu datae fidei protestantium perduravit 18 annis. Itaque decursu temporis Patres alienati a Summo Pontifice Eugenio IV illum deposuerunt, et elegerunt Felicem V Sabaudiae ducem. Sed Eugenius legitimum Concilium transtulit primum in urbem Ferrariensem, postea in Florentinam. Itaque propterea Basilense Concilium confirmatum fuit solum quoad illas sessiones, quae habuit cum Eugenio.

De Conciliis Generalibus prorsus rejectis.

322. Septem numerantur Concilia Generalia prorsus rejecta. Et primum est Antiochenum congregatum tempore Julii primi R. P. et Constantii Imperatoris circa annum 345. In hoc Concilio Athanasius damnatus fuit ab Arianis.

323. Secundum fuit Mediolanense sub Liberio Papa, et Constantio Imperatore. Convenerunt 354. Episcopi. In hoc concilio, ut dicit Rufinus lib. 10, cap. 20

temerata fuit saltem indirecte Catholica fides, quapropter totum rejectum est.

324. Tertium fuit Ariminense secundum habitum circa annum 359 sub Liberio R. P. et eodem Constantio Imperatore. Primum hoc Concilium fuit Catholicum, sed postea machinationibus Arianorum ablata fuit a professione fidei vox *homousion*.

325. Quartum fuit Ephesinum II sub Leone I. Summo Pontifice, et Theodosio Juniore Imperatore, anno 449. In hoc Concilio interfectus fuit Flavianus Patriarcha Constantinopolitanus, et fugati Legati Summi Pontificis. Item confirmata fuit Haeresis Eutychianorum, quapropter dictum fuit latrocinium Ephesinum.

326. Quintum fuit Constantinopolitanum sub Leone II Summo Pontifice anno 730 adunatum contra sacras imagines, et ibi e sua sede deturbatus fuit S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus.

327. Sextum similiter fuit Constantinopolitanum sub Stephano II R. P. et Constantino Copronymo Imperatore anno 755. In hoc quoque exarsit odium contra imagines Christi, et Sanctorum.

328. Septimum et ultimum fuit Pisanum adunatum contra Julium II Romanum pontificem anno 1511. Et haec breviter de Conciliis.

PARS QUINTA.

DE ROMANO PONTIFICE.

329. Duo in hac parte discutienda, et firmanda sunt, maxime contra Novatores protestantes, num Romanus Pontifex jure Divino primatum habeat super universam Ecclesiam; et quanti facienda sit illius auctoritas in iis, quae ad fidem, et mores pertinent. Sed quoniam illud ab his duobus dependet, scilicet si sit verus, et legitimus Petri principis Apostolorum successor, et si hujusmodi primatum super caeteros Apostolos, et universam Ecclesiam Petrus a Christo habuerit; ideo ex hoc exordiamur oportet. Sit itaque

PROPOSITIO XXVIII.

Petrus primatum a Christo habuit super caeteros Apostolos et Ecclesiam universam.

330. *Prob.* Christus suam fundans Ecclesiam, illam voluit veluti societatem, et coetum hominum, qui eamdem sui doctrinam profitentes, ad eumdem nobilissimum supernaturalem finem tenderent. Sed hujusmodi corpus, societas, aut coetus subsistere non potest sine Capite, sine supremo principe et rectore, qui caeteros uniformiter dirigat ad determinatum finem. Ergo etc. Et quidem formam Christi Ecclesiae, si nolimus dicere Monarchicam, saltem dicere debemus Monarchicam

Aristocraticam. Ergo semper uno supremo Capite, et Principe indiget. Adeo id verum est, ut quaevis societas etiam scelestorum hominum, nullimode suum finem, quem certe sibi proposuit, consequi poterit, nisi sit, qui dirigendo voluntates et operationes omnium, ordinem servet. Et ratio est, quia moraliter, imo physice impossibile est, ut omnes uniformiter judicent, et operentur, ut confusio vitetur. Quod si id in quavis societate, quomodo confusionem, et non potius perfectissimum ordinem cogitare poterimus in societate Divinitus instituta, in Ecclesia Christi, cujus finis est dignum Religionis cultum praestare Deo, ut inde aeternam salutem assequi possint homines? Repugnat ergo confusio in ista Divina Societate, et propterea ejus Auctor Christus illi caput, et Rectorem dare debuit.

331. Quod autem hujusmodi caput, et princeps nullus alius, praeter Petrum, fuerit, certum est ex quo Petro solum, et nulli alio, id adpromisit, et revera contulit ipse Auctor Christus. Et quidem Matth. cap. XVI ℣. 15 legimus, quod cum Christus interrogasset Apostolos, quid de ipso sentirent. *Vos autem quem me esse dicitis?* Et Petrus respondisset. *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Jesus ut compensaret illius confessionem respondit. *Beatus es Simon Barjona: quia Caro, et Sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in Coelis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus (cepha idest petra), et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.* Si ergo ex promissione Christi super Petrum, et non super alios neque conjunctim, neque separatim, Apostolos, Eccle-

sia fundata est, quis non videt illius primatum super caeteros Apostolos, et Ecclesiam universam? Ibi procul dubio peculiarem remunerationem Christus promisit Petro, et quidem in sui Ecclesia. Necessario, ut supra diximus, Ecclesia indigebat supremo Capite, et Pastore. Nullibi similis promissio facta legitur cuiquam alteri ex Apostolis. Contra, a Christo, et nullo alio assignari debebat, qui post sui mortem Ecclesiae praesset. Ergo etc.

332. Id confirmatur ex interpretatione S. Epiphanii, qui in Anchorato ait. *Dominus constituit primum Apostolorum Petram firmam, super quam Ecclesia Dei aedificata est.* Et Augustinus tract. ultimo in Joannem sic scripsit. *Ecclesiae Petrus Apostolus propter Apostolatus sui primatum gerebat figurata generalitate personam.* Et clarius in Psal. 108. *Cujus ille agnoscitur gessisse personam* (*Christi*) *propter primatum, quem in discipulis habuit.*

333. Sed luculentius id demonstratur ex Joan. cap. XXI. ℣. 15 ubi reipsa primatus legitur Petro collatus. Etenim iterum, atque iterum probato singulari Petri amore· *Etiam Domine tu scis, quia amo te.* Dominus ut hunc singularem amorem compensaret ait illi. *Pasce agnos meos . . . Pasce oves meas.* Procul dubio magnum hic discrimen est inter agnos, et oves, quia secus non repetisset verbum *pasce.* Ergo si per Agnos intelliguntur quique de fidelibus, per oves intelligi debent Pastores. Apposite propterea S. Gregorius Nyssenus Sermone de Nativitate S. Joannis ait. *Prius agnos, deinde oves Petro commisit, quia non so-*

lum Pastorem , sed Pastorum Pastorem eum constituit. Brevitatis causa omittimus caeteros Sanctos Patres , qui unanimi consensu hanc docent veritatem. Ex quo cum habeatur Divina Apostolica Traditio , ut infra videbimus , quae est altera fidei nostrae regula, tutissime fas est concludere , quod Petrus etc.

Objectiones adversariorum.

334. Varia objiciunt Heterodoxi. Et quidem primo dicunt. Christus aequalem tribuit Petro , et Caeteris Apostolis in sui Ecclesia auctoritatem : Etenim sicut dixit Petro Matt. cap. XVI. *Quodcumque solveris super terram , erit solutum et in Coelis*. Ita pariter Joannis cap. XX ✝. 21 ait caeteris Apostolis. *Sicut misit me pater , et ego mitto vos. Haec cum dixisset , insufflavit , et dixit eis : accipite Spiritum Sanctum : quorum remiseritis peccata , remittuntur eis ; et quorum retinueritis , retenta sunt.*

335. 2. Apostolus ad Eph. cap. secundo ℣. 19 omnes Apostolos , sine ullo discrimine , appellat Ecclesiae fundamentum. *Jam non estis hospites , et advenae, sed estis Cives Sanctorum , et domestici Dei, superaedificati super fundamentum Apostolorum*. Ergo ex testimonio Matth. nil concludi potest in favorem Petri.

336. 3. Lucae cap. XXII ✝. 24. legitur exorta quaestio de primatu inter Apostolos. *Facta est contentio inter eos , quis eorum videretur esse major*. Quippe controversia isthaec clare indicat , nullum tunc primatus jus Petro a Christo collatum fuisse. Ergo Chri-

sti Verba ad Petrum Matth. XVI procul dubio prius prolata. *Tu es Petrus , et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam* nullimode intelligi possunt de Petri primatu.

337. 4. Quinimmo et ipse Petrus in prima sua E-pistola nullum omnino indicium exhibet de hujusmodi suo primatu , sed aequalem prorsus se facit suis confratribus. Etenim sic scribit cap. V. *Seniores ergo, qui in vobis sunt , obsecro : consenior et testis Christi passionum . . . Pascite , qui in vobis est gregem Dei , providentes non coacte , sed spontanee , secundum Deum.* Ergo etc.

R. Ad singula , et quidem ad primum dicimus, quod Christus omnibus simul Apostolis locutus est veluti Coetui Pastorum , qui regere , et pascere debebat suam Ecclesiam , quam suo Sanguine jam fundaverat , pro certo ponens , quod coetus ille , sicut et quoque Societas , debebat habere caput, quemadmodum reipsa adhuc vivens illi tribuerat in persona Petri. *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.* Matth. cap. XVI et *Pasce agnos meos . . . pasce oves meas.* Joannis cap. XXI. Itaque sub hac conditione, suscitatus a mortuis illis praecipiens quid deberent facere. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris , et Filii , et Spiritus Sancti.* Matt. cap. XXVIII ℣. 19 , eisdem quoque dedit illimitatam quidem potestatem , ut necesse erat , remittendi peccata , ut in objecto testimonio Joannis XX ; sed via tamen extraordinaria , non autem ordinaria, in universam Ecclesiam, quoniam subordinati esse debebant Petro , quem jam

dederat Supremum Caput ejusdem Ecclesiae, juxta primum testimonium Matth. cap. XVI. Et quidem sic servatum fuit inter Episcopos Apostolorum successores a tempore usque Joannis Apostoli, ut habemus ex Apocalypsi cap. secundo de septem Episcopis Asiae, quorum quisque in sua tantum Ecclesia habebat ordinariam potestatem. Et hoc ipsum semper deinceps servatum est, licet pro bono Ecclesiae, in data necessitate, quisque plenam potestatem ubique exerceat, procul dubio tacito consensu Supremi Capitis.

Ad secundum respondemus, quod recte quidem Apostoli dicuntur Ecclesiae fundamentum, sed non eodem modo, quo Petrus. Christus est fundamentum verum, primum, et unicum. Post illum Petrus, ut Vicarius ejusdem, est fundamentum ministeriale primum; et caeteri Apostoli fuerunt fundamenta pariter ministerialia, sed secundaria, sub capite scilicet Petro, quia coetus, sive corpus morale, quale est Ecclesia, capite necessario indiget. Unde Bellarminus lib. 1. de SS. Pont. cap. 21. ait. *Habuerunt omnes plenitudinem potestatis, ita tamen, ut Petrus esset Caput eorum, et ab illo penderent.*

Ad tertium dicimus, quod allata controversia inter Apostolos non erat de primatu in Ecclesia militanti, sed potius triumphanti, ut videntur innuere verba Christi subsequentia. *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum.* Caeterum responsio Christi favet potius, quam derogat primatui Petri super caeteros Apostolos; ait enim. *Qui major est in vobis fiat sicut minor.* Ergo jam erat inter eos major, et quidem Petrus.

Ad quartum. Nihil aliud indicant objecta Petri verba, quam illius humilitatem, qui cum Caput fuerit, non tamen imperatoriis verbis utitur, sed humilibus. Sed nihilominus tamen praecipit. *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei.* Praeclarum certe humilitatis exemplum, quod constanter sequuti sunt ejus successores Romani Pontifices, qui servos servorum Dei se nominant, et fratres, et collegas appellant Episcopos, et Cardinales.

338. Sed iterum opponunt Heterodoxi. Actorum Cap. VIII ℣. 14 habemus, Petrum cum Joanne missum fuisse Samariam ab aliis Apostolis. *Cum audissent Apostoli, qui erant Jerosolymis, quod recepisset Samaria Verbum Dei; miserunt ad eos Petrum, et Joannem.* Sed qui ab aliis mittitur, subditus potius, quam princeps, dicendus est. Ergo etc.

339. 2. In iisdem Actibus Apostolorum cap. XV. ℣. 13 habemus, quod in Concilio Apostolorum habito Jerosolymae, nomine omnium sententiam non protulit Petrus, sed Jacobus major. *Et postquam tacuerunt, respondit Jacobus, dicens: Viri Fratres, audite me etc.* Ergo nullum jus capitis tunc habebat Petrus.

340. 3. Paulus ad Galatas cap. secundo, ℣. undecimo dicit restitisse in faciem Petri. *Cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat* -- et ibidem v. 14. *Dixi Cephae coram omnibus: Si tu, cum Judaeus sis, gentiliter vivis, et judaice: quomodo Gentes cogis judaizare?* Numquid si vere Petrus fuisset Caput, et princeps Apostolorum, et universae Ecclesiae, Paulus infe-

rior, et subditus, ita publice reprehendere audisset?

341. 4. Idem Paulus in secunda ad Corinth. cap. undecimo ℣. 28 asserit sibi pertinere sollicitudinem omnium Ecclesiarum. *Praeter illa, quae extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, solicitudo omnium Ecclesiarum.* Ergo ad ipsum potius spectabat primatus honoris et jurisdictionis; ex quo forsan factum est, ut per autonomasiam appellatus sit Apostolus.

℟. Et quidem ad primum dicimus, Petrum cum Joanne missum fuisse Samariam ab aliis Apostolis per modum consilii, non vero praecepti. Indiscriminatim omnibus praeceperat Christus, ut proficiscerentur per mundum universum, et praedicarent Evangelium omni Creaturae. Itaque postquam receperunt Spiritum Sanctum, consilium inter se habentes, statuerunt in quam quis partem proficisci deberet, ut Christi praecepto facerent satis. Ergo modo consultivo, non imperativo Petrus missus fuit Samariam.

Ad secundum respondemus, quod ex objecto cap. XV. Actuum Apostolorum potius colligitur Petrum praefuisse illi Concilio, ab Apostolis habito, ut viderent, num servari deberet Lex Mosaica, et circumcidi Gentiles, qui recipiebant Christi fidem, quam Jacobum Majorem. Etenim sic ibi legitur ℣. 6, et sequentibus. *Convenerruntque Apostoli, et Seniores videre de verbo hoc. Cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire Gentes verbum Evangelii, et credere . . . . Nunc ergo quid tentatis*

Deum, imponere jugum super cervices Discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum et illi. Tacuit autem omnis multitudo. Quis hic non videt, quod post conquisitionem quaestio decisa fuit a Petro, et omnes sequuti sunt illius sententiam, *tacuit omnis multitudo?* Ergo Petrus existimabatur ut praeses, et caput. Quod si in sequenti versiculo 13 sequuntur objecta verba: *Postquam tacuerunt, respondit Jacobus, dicens: Viri fratres, audite me,* procul dubio ipsa indigitant, Jacobum repetisse sententiam Petri, et ut ab omnibus receptam publicasse.

Ad tertium Theologi, et Patres magni nominis, et auctoritatis respondent, Cepham a Paulo reprehensum non fuisse Apostolum Petrum, sed alium eodem nomine, qui cum Cleopha proficiscebatur Emmaus. Sic Clemens Alexandrinus apud Eusebium lib. primo Hist. cap. II; et sic quoque Hieronymus scribens. *Esse qui Cepham, cui in faciem Paulus restitisse se scribit, non putent Apostolum Petrum, sed aliquem de septuaginta isto vocabulo nuncupatum.* Caeterum nos dicimus, quod reprehensio isthaec non indicat in Paulo superioritatem, sed potius confidentiale zelum, et in Petro tantummodo aliquam timiditatem conversationis. Ast si Ecclesiae caput, et praeses assignari debebat a Christo, nunquid praeses Paulus, qui Apostolus fuit electus posteaquam, mortuo jam Christo, tanto zelo persequutus fuerat Ecclesiam?

Ad ultimum dicimus, quod solicitudo omnium Ec-

mediate addidit — *et portae inferi non praevalebunt adversus eam*. Sed quandiu non praevalebunt? Nunquid dum tantum viveret Petrus? Absit. Sed semper procul dubio usque ad saeculorum finem. Sed quomodo id verum, si Petro non essent Successores? Quomodo secus servaretur doctrinae, et membrorum unitas sine capite? Quomodo tam numerosa societas, sine principe, uniformiter dirigi posset ad eumdem finem? Quot mortifera schismata portae inferi non excitarent in Ecclesia? Profecto ut scribit Cyprianus in primo tomo in epistola ad Cornelium Papam. *Neque aliunde haereses obortae sunt, aut nata sunt schismata, quam inde quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus sacerdos, et ad tempus judex vice Christi cogitatur.* -- Dicendum ergo, quod Romanus Pontifex, qui locum Petri tenet in Ecclesia Romana, sit, et quidem in omnibus, ejusdem Petri legitimus successor.

343. *Prob.* secundo ex conciliis Oecumenicis, quorum auctoritatem infallibilem esse jam demonstravimus. Sed ipsa fere omnia, praesertim Florentinum sess. VI in qua, etiam praesentibus, et suffragantibus Episcopis Graecis, sic definivit. *Sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput, et omnium Christianorum patrem, et Doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi, et regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse.* Ergo etc.

344. *Prob.* tertio ex perpetua, et constanti Traditione, quam demonstravimus esse alteram fidei nostrae regulam. Itaque Patres et Graeci, et Latini uno ore semper docuerunt, Romanos Pontifices esse Petri Successores. Sic Cyprianus epistola septima scribit. *Factus est Cornelius Episcopus, cum Fabiani locus, idest cum locus Petri vacaret.* Sic Optatus Milevitanus lib. II. contra parmensem. *Sedit prior Petrus, cui successit Linus etc.* Sic Hieronymus ad Damasum *Cum Successore piscatoris loquor.* Sic Augustinus epistola 18. *In Romana Ecclesia semper Apostolicae Cathedrae viguit principatus* et sic caeteri omnes. Ergo etc.

345. *Prob. secunda pars.* Ex modo demonstratis Romanus Pontifex est legitimus successor Petri. Sed Petrus a Christo primatum habuit super caeteros Apostolos, et Ecclesiam universam (342). Ergo Romanus Pontifex primatum habet super omnes Episcopos, et pastores, et universam Ecclesiam. Item Petrus suum primatum habuit non ab hominibus, sed ab ipso Christo, scilicet non jure humano, sed Divino. Ergo Romanus quoque Pontifex, qui est successor illius, eodem Divino jure suum habet primatum.

Solvuntur objectiones Heterodoxorum.

346. *Ob.* contra primam partem. Romani Pontificis auctoritas non se extendit ultra Romani Patriarchatus fines. Ergo non est successor Petri in primatu super omnes Pastores, et Ecclesiam universam. *Prob. ant.* Conci-

lium Nicaenum, quod utique fidem Divinam facit, can. 6. sic definivit. *Mos antiquus perduret in Ægypto et Libya, et Pentapoli, ita ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quoniam quidem et Episcopo Romano parilis mos est.* Ergo Romani Pontificis auctoritas etc.

R. Nihil ex allato Nicaeni Concilii Canone concludi potest adversus nostram thesim. Omissa enim sunt verba antecedentia, scilicet. *Ecclesia Romana semper habuit primatum etc. mos antiquus etc.*; ut lectus, et probatus fuit in Concilio Chalcedonensi actione 6. Deinde dicimus, quod triplex potestas distinguenda est in Romano Pontifice, scilicet Papalis, Patriarchalis, et Episcopalis. Itaque quoad primam, est Caput totius Ecclesia Christi, quoad secundum similis quodammodo est caeteris Patriarchis, et quoad tertiam est Episcopus Romae. Bene ergo in adducto Canone Concilii Nicaeni, postquam dictum est Ecclesiam Romanam semper habuisse primatum, additur. *Mos antiquus perduret in Ægypto, et Lybia, et Pentapoli, ita ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem;* potestatem scilicet patriarchalem, ut habet Episcopus Romanus. Igitur Episcopus Alexandrinus quoad Patriarchatum tantum, non vero quoad dignitatem Supremi Capitis, similis est Romano Pontifici.

347. *C.* Atqui ex laudato canone Nicaeni Concilii deducitur, Romanum Pontificem aequalem omnino habere potestatem, quam quivis simplex Episcopus habet in sua Dioecesi. Ergo etc. *Prob.* Rufinus sic reddit lau-

datum canonem Nicaenum. *Et apud Alexandriam*, *et in urbe Roma*, *vetusta consuetudo servetur*, *ut vel illic Ægypti*, *vel hic suburbicariarum Ecclesiarum sollicitudinem gerat*. Ergo Romanus Pontifex nonnisi quarumdam suae Dioecesis urbium habet potestatem sicut Caeteri Episcopi.

℟. Etsi dicere possimus verba illa *suburbicarum Ecclesiarum* a Rufino intrusa fuisse in Canonem, quoniam ipsa non reperiuntur in vulgari textu Graeco, neque in exemplaribus Gelasii, neque in iis, quae ad Patres Concilii Carthaginensis transmissa fuerunt; tamen dicimus, quod si per verba *suburbicariarum Ecclesiarum* intelligit Rufinus aliqua praedia, et urbes simplicis Dioecesis Romanae, ipse in aperta contradictione est, quia Concilium Nicaenum ex citato Canone concedit Patriarchae Alexandrino, quem adversarii conantur facere parem Romano Pontifici, jurisdictionem in Ægypto, Libya, et Pentapoli, in quibus Regionibus multi sunt Episcopatus. Ergo vel dicendum, quod intrusa sunt allata verba, vel quod per ipsa intelligenda est tota Jurisdictio Patriarchatus Romani.

348. *C.* Atqui Romanus Pontifex jurisdictionem habet simplicis Episcopi, et nullam in Ecclesiam universam. Ergo etc. *Prob.* Gregorius Magnus lib. 9. Epistolarum Epist. 3 non vult Romanum Pontificem appellari Episcopum universalem. Ergo dicendum, quod habet simplicem jurisdictionem Episcopalem.

℟. Gregorius Magnus reprobat vocabulum *universalem* in sensu illorum, qui existimant solum Romanum Pontificem esse verum Episcopum totius Ecclesiae,

quasi caeteri sint simplices vicarii illius, non vero excludit ab illo jurisdictionem patriarchalem, et Papalem, hoc est primatum in tota Ecclesia. Et quidem in Epistola 99 scribens ad Mauritium Imperatorem graviter reprehendit Joannem Patriarcham Constantinopolitanum eo quod se diceret Episcopum universalem, quae quidem praerogativa soli convenit Episcopo Romano, ut est Papa, et totius Ecclesiae caput.

349. Quae afferri solent contra secundam partem, quod scilicet Romani Pontificis primatus sit ex institutione Divina, ad haec referuntur. Primo, quod hujusmodi primatus non a Christo Romano Pontifici collatus est, sed potius a Conciliis, et etiam ab Imperatoribus. Et quidem habemus ex Concilii Chalcedonensis can. 28. *Antique Romae Throno, quod urbs illa imperaret, jure Patres privilegia tribuerunt.* Et Justinus Novella 100 scribit. *Decernimus secundum Sacrarum Synodorum Decreta, Sanctissimum Veteris Romae Episcopum primum esse omnium Sacerdotum.*

350. 2. Apostolus ad Ephesios cap. IV; et in prima ad Corinth. cap. XII describit omnes Hierarchiae ordines, et nullum verbum facit de Romani Pontificis primatu. Ergo primatus Papae non est a Deo.

351. 3. Petrus ex se, non vero ex praecepto Christi Romae suam sedem statuit. Ergo Romanus Pontifex, qui per vos est successor Petri, ex institutione Petri, non vero Christi, primatum habet.

℞. Ad singula: et quidem ad primum dicimus, quod a Canonibus Conciliorum, et ab edictis Imperatorum, non datur, et confertur Romano Pontifici primatus,

sed tantummodo agnoscitur, colitur, et defenditur veluti jure divino illi debitus.

Ad secundum respondemus primo, quod ideo Paulus in enumerando Hierarchiae gradus silet primatum Sancti Pontificis Petri, quia illum existimabat satis notum ex verbis Christi Matth. cap. XVI., et Joannis Cap. XXI. (342; et 344). Secundo dicimus, quod objectis locis non animus est Paulo enumerare gradus Hierarchiae Christi Ecclesiae permanentes, alioquin verba facere debuisset de Diaconis, presbyteris, et Episcopis.

Ad ultimum, et caetera similia, respondemus, quod ex voluntate quidem Petri Romae habemus ejus successorem, et caput totius Ecclesiae; sed ex jure Divino, scilicet ex institutione Christi talis successor, uti demonstravimus, primatum habet in universam Ecclesiam. Utique Petrus poterat alibi suam statuere Sedem, et in hac hypothesi non Romanum Episcopum diceremus, et tueremur Petri successorem, et supremum Ecclesiae caput, sed illum, qui alibi successisset.

352. Demonstrato, et vindicato Romani Pontificis primatu in universam Ecclesiam, et id quidem ex jure Divino, quoniam legitime electus, est Petri Apostoli successor, qui a Christo hunc primatum habuit super caeteros Apostolos, et Ecclesiam universam (341); videamus nunc oportet, quanta sit illius auctoritas in definiendis fidei veritatibus.

353. Ad hanc non de fide solvendam quaestionem, quae agitur inter Catholicos, scilicet inter Theologos Parisienses, et Italos praesertim, nonnulla sunt prae-

mittenda. Et quidem primo ad memoriam revocanda sunt, quae de fide docuimus, et vindicavimus, cum sermo fuit de Ecclesia. Scilicet primo, quod visibilis Christi Ecclesia deficere non potest (utique in credendo) (§. 133). Secundo, quod eadem Christi Ecclesia falli non potest in docendo, quae ad fidem, et mores pertinent (§. 180). Tertio, quod solus Romanus Pontifex ordinaria auctoritate jus habet convocandi Concilia Generalia, et in illis sive per se, sive per suos Legatos, praesidendi (276). Quarto, quod decreta Conciliorum Generalium in iis, quae ad fidem pertinent sunt infallibilia (§. 292). Tandem, et praesertim, quae (§. 295) notavimus necessario requiri, ut Generale Concilium, recte se habeat et maxime, quod si deest subscriptio illius, qui praesidet, concilium non est adprobatum, et illius acta non obbligant, ut accidit in partim sex Conciliis relatis (§. 316), et in omnibus septem descriptis (§. 322).

354. Secundo, ut sensus quaestionis clare pateat notanda sunt quae hac in re Bellarminus dicit de summo pontifice lib. quarto. Et quidem primo. *Conveniunt omnes Catholici cum Haereticis in duobus 1. posse Pontificem, etiam ut Pontificem, et cum suo Coetu consiliariorum, vel cum generali Concilio errare in controversiis facti particularibus, quae ex informatione testimoniisque hominum praecipue pendent. 2. posse Pontificem, ut privatum Doctorem errare, etiam in quaestionibus juris universalibus tam fidei, quam morum, idque ex ignorantia, ut aliis Doctoribus interdum accidit,*

355. *Item*. Deinde Catholici omnes in aliis duobus conveniunt, non quidem cum Haereticis, sed solum inter se. 1. Pontificem cum generali Concilio non posse errare in condendis fidei decretis, vel generalibus praeceptis morum. 2. Pontificem solum, vel cum suo particulari Concilio aliquid in re dubia statuentem sive errare possit, sive non, esse ab omnibus fidelibus obedienter audiendum.

356. *Insuper*. Quibus ita constitutis, quatuor tantum remanent diversae sententiae. Prima est, Pontificem, etiam ut Pontificem, etiamsi cum generali Concilio definiret aliquid, posse esse Haereticum in se, et edocere alios haeresim, . . . Haec est sententia Haereticorum omnium.

Secunda sententia est Pontificem, etiam ut Pontificem, posse esse Haereticum, et docere haeresim, si absque generali Concilio definiat . . . Hanc opinionem sequitur, et tuetur Nilus etc. . .

Tertia Sententia est in alio extremo, Pontificem non posse ullo modo esse Haereticum, nec docere publice haeresim, etiamsi solus rem aliquam definiat. Ita Albertus Pighius. . .

Quarta Sententia est quodammodo in medio, Pontificem, sive Haereticus esse possit, sive non, non posse ullo modo definire aliquid Haereticum a tota Ecclesia credendum.

357. Haec est communissima opinio fere omnium Catholicorum, ut B. Thomae 2. 2. q. 1. art. 10. *S. Bonaventurae in Expositione Regulae S. Francisci, qui ambo fuerunt Doctores Academiae Parisien-*

sis, *et caeterorum ferme omnium*, *ita ut Petrus de Marca Parisiorum Episcopus in Observat: ad Theses Claremontanas dixerit.* Haec opinio (de infallibilitate R. Pontificis) est illa, quam unice Hispania, Italia, aliaeque omnes Christianitatis Provinciae docent, ita ut illa, quam sententiam Parisiensium vocant, ad classem earum Opinionum revocanda sit, quae solum tolerantur. *Deinde dicens.* Inter omnes Universitates solam veterem Sorbonam contra sentire, *statim addit.* Hoc quoque tempore hanc de infallibilitate Pontificis sententiam in ipsa Sorbona doceri videmus.

358. Ex dictis apparet, quod opposita sententia, quod scilicet Papa, ut Papa, sive ut communiter dicitur, ex Cathedra loquens, possit errare in definiendo fidei controversias, et haeresim proponere credendam universae Ecclesiae, *ita ut illius judicium non sit irreformabile*, *nisi Ecclesiae consensus accedat*, ut dicitur in quarto articulo sollemnis declarationis Cleri Gallicani factae anno 1682; haec Sententia, inquam, non est antiqua, sed recentior, et solius Cleri Gallicani, et quidem non omnium. Nam certe tempore S. Bonaventurae, et D. Thomae, aliter sentiebat Accademia parisiensis, cujus illi habiti fuerunt luminares Socii, secus non contra scripsissent.

359. Notandum tamen, quod licet dictam declarationem Cleri Gallicani (§. super) Pius VI in Constit. quae incipit *Auctorem fidei* edita anno 1794 damnaverit ut *temerariam*, *scandalosam*, *et Apostolicae Sedi injuriosam*, id tamen factum est ex occasione, quod non solum nonnulli in Italia illam aperte

defendebat, sed etiam in Synodo Pistoriensi anno 1786, eadem fuit proposita, et adoptata ut decretum fidei. Itaque in hoc sensu solum damnata fuit, non vero in sensu doctorum Parisiensium, qui illam defendunt ut simplicem opinionem, non vero ut decretum, ut monet Bossuetus in dissert. praevia ad defensionem ejusdem declarationis. Quocirca temerarius prorsus esset, qui in Sorbonenses Theologos illa Pontificis verba traducere auderet.

360. Hisce praenotatis, tempus est, ut nostram opinionem hac in re patefaciamus, si tamen prius dicamus quod duplici aspectu considerari potest Romanus Pontifex, scilicet ut auctor privatus, qui ut caeteri Doctores, alios docet; et ut Supremum totius Ecclesiae Caput, qui adhibito Consilio Fratrum, et auditis etiam Theologis, nec non fusis ad Deum praecibus, dubia, et quaestiones de fide solvit, et quae credenda sunt universae Ecclesiae proponit. Itaque sit.

PROPOSITIO XXX.

Romanus Pontifex ut Supremus universae Ecclesiae Pastor, sive ex Cathedra loquens, non potest errare in definiendo, et universae Ecclesiae proponendo quae ad fidem et mores pertinent.

361. *Prob.* est de fide, quod visibilis Christi Ecclesia deficere non possit (utique in credendo fidei veritates), ut demonstratum est (§. 133). Sed si Romanus Pontifex ex Cathedra loquens, errare posset in definiendis,

et proponendis fidei veritatibus, tunc universa Ecclesia in fide deficeret. Et quidem cum dubia in rebus fidei excitantur, et insurgunt haereses, qua via poterunt fideles cognoscere veritatem? Si nullimode: ergo deficit Christi Ecclesia, deficiente vera illius fide. Non ex seipsis, quia evidenter falsum, et haereticum est admittere Spiritum privatum veluti legitimum interpretem Scripturarum, in quibus praesertim, quae ad fidem pertinent, continentur (§. 115). Ergo ab aliis, qui quidem infallibiles esse debent, secus deficeret Ecclesia; scilicet dirigi fideles debent ab Ecclesia docente, quae falli non potest in illis, quae ad fidem, et mores pertinent (180). Sed ubinam fas est invenire hanc Ecclesiam docentem, in quovis ne peculiari Pastore, an vero in omnibus simul congregatis, aut, si res postulat, in uno supremo capite omnium? Quippe omnino necesse est, ut inveniatur, et quidem cito, secus Ecclesia deficeret. Primum per se falsum apparet. Saepe enim haereses et schismata a peculiaribus Pastoribus originem habent. Secundum optimum quidem est, quia generale Concilium legitime congregatum, et a Supremo capite R. P. confirmatum, sine dubitatione universam repraesentat Ecclesiam docentem, quae de fide est ut errare non possit (§. 180). Sed quis non videt quo difficultates incidere possunt, quanto tempore opus esset, ut sub capite omnes congregentur Episcopi, et quidem etiam remotarum Nationum? Certo plures, non menses, sed anni effluerent; et interim serperent errores, et universa Ecclesia in rebus fidei esset dubia, et sine certa fide; ergo jam a multo tempore Ecclesia

posset esse suspensa, sive pro multo tempore posset deficere et sic deficeret verus Religionis cultus erga Deum, quod fieri non posse fusius demonstratum est in primo libro.

362. Sed adde, quod non solum suspensa remaneret Ecclesia credens, sed et ipsa quoque Ecclesia docens, et propterea tota universa simul. Etenim nullus certe Pastorum interim certus esset de sua doctrina, secus quisque erit per se infallibilis judex fidei controversiarum, quod absurdum est, et contradictorium. Ad quid enim secus congregarentur Concilia? Ergo ne dicatur quod tota Ecclesia et credens et docens pro longo tempore deficere possit, quod Haereticum est, necessario debet esse qui hoc privilegio sit praeditus, ut infallibiliter dirimat fidei controversias, damnet errores, et verae fidei dogmata proponat credenda. Ita non deficiet, nec suspensa remanebit Ecclesia docens, et statim ad unionem totius Ecclesiae credentis redit illa pars sive Ecclesia peculiaris, quae dubia erat.

363. Verum in quo alio inveniri poterit haec tam necessaria infallibilitas, nisi in solo Romano Pontifice? Ipse, ut legitimus Petri successor jure Divino primatum habet in universam Ecclesiam (353). Ergo in datis circumstantiis totam repraesentat Ecclesiam. Sed haec falli nequit. Ergo nec ille. Et quidem Petro datum fuit a Christo pascere et agnos, et oves (Joannis cap. XXI ✠. 15), scilicet regere Ecclesiam credentem, et etiam docentem (§. 344). Ergo pariter Romano Pontifici datum est, praesertim in datis circumstantiis, docere veritatem non solum agnos, sive

plebem, sed etiam oves, scilicet omnes pastores, sive totam Ecclesiam docentem.

364. Et id confirmatur ex facto, quod certe evincit Divinam traditionem. Etsi enim dogma fidei sit, decreta Conciliorum Generalium in iis, quae ad fidei doctrinam pertinent, esse infallibilia (§. 292); tamen ita necessario requiritur, ut a Romano Pontifice confirmentur, ut-si iste vel omnia vel in partim rejiciat, omnia, vel partim, rejecta remaneant (§. 316, et 322). Ergo infallibilitas doctrinae Conciliorum Generalium non repetenda est ab inferioris ordinis Pastoribus, sed a Pastore Supremo Romano Pontifice, cui in persona Petri datum est pascere agnos, et oves.

365. Constat ergo, quod Romanus Pontifex solus rejicit decreta Conciliorum. Sed datum ne unquam est, ut Concilia rejecerint, et rejecta remanserint, decreta Romani Pontificis ex Cathedra loquentis edita pro dirimendis fidei controversiis, et haeresibus damnandis? Nunquam certe. Quinimo ferme omnes haereses a solo Romano Pontifice agente, ut est caput totius Ecclesiae, prius damnatae fuerunt, et postea sic damnatae confirmatae fuerunt a Conciliis. Ergo in capite potius, quam in membris, residet privilegium infallibilitatis a Christo datum in beneficium suae Ecclesiae.

366. Sed quaero: ut Concilium totam repraesentet Ecclesiam docentem, et inde sua decreta sint infallibilia in materia fidei, et morum, requiritur ne, ut omnes Episcopi conveniant? Nullus id dixerit. Sed unde constat quot convenire debeant, ut infallibilitas habeatur? Silet in hoc Scriptura, silet traditio. Solum habemus

Matth. cap. XVII. ✠. 20, quod Christus ait. *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*, et hoc testimonio innixi Theologi Parisienses conantur evincere, privilegium infallibilitatis non datum fuisse Petro ex testimoniis Matth. XVI, et Joannis XXI; sed Ecclesiae scilicet Conciliis. Eccur ergo Romanus Pontifex ex Cathedra loquens, idest serio discussa re cum suis Consiliariis, infallibilem non dabit suam sententiam in definiendis fidei controversiis, et haeresibus damnandis? Num, ut scripsit meus doctor S. Bonaventura, felicior fuit Synagoga, quam Ecclesia, quia illa habebat unum Summum Pontificem, qui omnes discordias poterat terminare? (Deut. cap. XVII ✠. 12).

367. Scholion. Quoniam ad fidem non pertinet praesens quaestio, sola Theologica ratione visum est nostram tueri Sententiam. Verum ex quo tuemur infallibilitatem R. P. ex Cathreda loquentis in iis, quae ad fidem et mores pertinent, non inde tuemur, illum, ut doctorem privatum, docere non posse haeresim, aut in haeresim incidere. Nostra enim opinio infallibilitatis dum maximi honoris est Capitis, respicit tamen bonum Ecclesiae.

Solvuntur Argumenta Theologorum Parisiensium.

368. Multa afferri solent a Sorbonicis Doctoribus in defensionem suae opinionis, et praecipua sunt.

1. Si Romanus Pontifex esset infallibilis in dirimendis fidei controversiis, frustra ob hanc causam convo-

carentur Concilia generalia, quoniam frustra fierent per plures, quae fieri possent per unum. Sed saepe Concilia congregata sunt, et quidem ab initio nascentis Ecclesiae, et utilia semper, imo necessaria quandoque visa sunt. Ergo etc.

369. 2. Si Romanus Pontifex hujusmodi infallibilitatis privilegio gauderet, procul dubio notum fuisset ab initio Ecclesiae. Sed inauditum prorsus est in vetustis saeculis, uti constat ex Concilio Chalcid., in quo rigido examini subjecta fuit Epist. S. Leonis Papae. Ergo quia nihil in hoc innovari potest, dicendum, quod Romanus Pontifex hujusmodi privilegium non habet.

370. 3. Adrianus sextus expresse ait, Papam, ut Papam errare posse, et plures Papas haereticos fuisse. Si ergo vel ipsi Romani Pontifices fallibiles se agnoscunt, et confitentur, quomodo infallibiles nos dicemus?

571. 4. In Jure Canonico habemus, Papam haereticum a Concilio judicari posse. Ergo Papa potest in fide errare, et est Conciliis subditus.

372. 5. Et quidem nonne Liberius Pontifex lapsus fuit in haeresim Arianorum cum Exilii taedio affectus formulae firmiensi, quae haeretica erat, se subscripsit nec non damnationi S. Athanasii Nicaenae fidei strenui propugnatoris?

373. 6. Sanctus Basilius, et plures Orientales Episcopi fortiter restiterunt Damaso Papae, qui pertimescebat tres Hypostases asserere in Divinis. Si Papa esset infallibilis, quomodo ipsi obsistere potuissent laudati Sancti Episcopi?

374. 7. Sed nonne in Sexta Synodo aecumenica

damnatus fuit Honorius, propterea quod haeresim Monotholitarum profitebatur? Si pro se non habet infallibilitatem, quomodo habere potest pro aliis? Nonne quis docet, quod sentit?

375. 8. Polycrates, et alii Episcopi Asiae noluerunt obedire Romano Pontifici Victori circa quaestionem celebrandi Paschatis. Et Cyprianus cum aliis Episcopis Asiae, et Africae fortiter restiterunt decreto Stephani Romani Pontificis circa valorem Baptismatis ab Haereticis collati: et tamen illi, et isti fuerunt in fidei unitate. Quomodo ergo istud, si fuisset verum privilegium infallibilitatis Romani Pontificis?

376. Tandem Joannes XXII decrevit beatitudinem non conferri Justis statim post mortem, sed differri usque ad universalem corporum resurrectionem. Sed hoc est haereticum, et a Concilio Florentino damnatum. Ergo non solum Romanus Pontifex potest esse Haereticus, sed haeresim docere, et praecipere.

℟. Haec, et alia, quae adduci solent, levia prorsus sunt. Et quidem ad primum dicimus, quod licet infallibilis sit Romani Pontificis auctoritas in dirimendis fidei controversiis, utilia tamen quandoque sunt, et etiam quodammodo necessaria Concilia: quoniam per ipsa facilius, et felicius coercetur Haereticorum audacia, praesertim illorum, qui agnoscere nolunt infallibilitatis privilegium in successore Petri, in supremo Ecclesiae Capite Romano Pontifice. Caeterum in quovis ferme Saeculo per solum Romanum Pontificem plures haereses damnatae, et profligatae fuerunt.

Ad secundum, miramur Theologos Parisienses, qui

prae caeteris tantopere excellunt in historia Ecclesiastica, opponere potuisse, quod ignotum fuit prioribus Ecclesiae saeculis privilegium infallibilitatis in Romana Pontifice, dum constat in quovis saeculo haereses fuisse extinctas auctoritate, et sententia illius. Quod ad Epistolam attinet S. Leonis, quae examini dicitur fuisse subjecta, respondemus id propterea factum esse, quia obscura visa fuit, quoniam Graeci, et Syrii imperiti erant Latini idiomatis, in quo scripta fuerat, et quia etiam vitiata existimabatur ab Eutychianis, non vero quia dubia erat auctoritas Sancti Pontificis. Et quidem cum Epistola explicata fuit a Legatis pontificiis, statim ab omnibus conclamatum fuit. *Anathema, qui ita non credit, Petrum per Leonem loquutum fuisse.*

Ad tertium respondemus, quod Adrianus objecta verba protulit, cum erat professor in Academia Lovaniensi, non vero postquam Papa Electus fuit. Et quidem cum jam Pontifex esset mutavit sententiam, et in sermone tertio de Consecratione Romani Pontificis ait. *Ego autem non facile crediderim, ut Deus permitteret Romanum Pontificem contra fidem errare, pro quo specialiter oravit in Petro.* Caeterum id ad rem non facit. Nos enim non arbitramur Romanum Pontificem, ut auctorem privatum errare non posse, et etiam in fide; sed tantum errare non posse ex Cathedra loquentem in dirimendis fidei contraversiis, nec in proponendo aliquod haereticum credendum universae Ecclesiae secus enim tota deficeret Ecclesia et Credens, et docens, quod est haereticum. Quocirca notavimus quoque, quod infallibilitatis privilegium non respicit, nisi

honorem tantum Romanis Pontificis, sed revera bonum Ecclesiae.

Ad quartum per se patet responsio: allatum enim jus canonicum intelligendum est de errore personali, non vero judiciali, quod libenter concedimus in Rom. Pontifice. Non enim contendimus, illum non posse haereticum esse, sed quod ex Cathedra loquens non potest haeresim proponere credendam Universae Ecclesiae, quia secus Ecclesia tota deficeret quod haereticum est.

Ad quintum dicimus, quod universae Ecclesiae notum fuit Liberium Pontificem missum fuisse in exilium ex eo, quod noluit se subscribere formulae Sirmiensi, timens ne confirmaret haeresim Arianorum. Ergo si postea taedio affectus se subscripsit, id arguit tantum illius damnabilem timorem, et inde quod in personalem incidit haeresim. Sed cum id notum fuerit Ecclesiae, nullimode ista deficere poterat, et quidem nec in credendo, nec in docendo, quia caeteri Catholici Pastores jam certi erant de vera fide, et firmi permanserunt in docendo eam. Sed nec id verum est, quod Liberius in veram haeresim personalem incidit. Formula enim, cui se subscripsit, erat contra Photium Haeresiarcham, nec quidquam in illa erat contra Verbi Divinitatem. Ergo potius deceptus fuit: subscripsit etiam damnationi Athanasii, non quia Athanasius erat acerrimus defensor fidei Nicaenae; sed propter crimina contra illum allegata, et probata, licet calumniose. Ergo deceptus fuit errore facti, non juris, id quod libenter concedimus in Romano Pontifice.

Ad sextum per se patet responsio. Non enim Dama-

sus aliquod decretum edidit contra vocabulum hypostasim, sed tantum timuit, ne per vocabulum istud assereretur Trinitas Naturae in Divinis. Ergo Damasi error fuit de significatione vocabuli, non vero de re fidei; quocirca dici debet error facti, in quem et ipsa quoque Concilia Generalia incidere possunt.

Ad septimum. Etsi non desint, qui opinantur corrupta fuisse sextae synodi exemplaria, aut synodum ipsam deceptam fuisse ab errore facti, tamen dicimus, quod Epistolae Honorii non datae fuerunt ad universam Ecclesiam, sed ad solum Episcopum Constantinopolitanum, unde Honorius in hoc potius existimandus est ut auctor privatus, quam ex Cathedra loquens, sive ut caput totius Ecclesiae. Ergo nihil inde contra nos, qui ideo Romanum Pontificem errare non posse dicimus in dirimendis fidei controversiis, quia secus tota Ecclesia et docens, et credens deficeret, quod in fide erroneum est.

Ad octavum, non negamus, quod revera Victor scripsit ad omnes Episcopos Africae ut cogerent synodum, et statuerent celebrari Pascha non amplius quartadecima luna Nysan, scilicet martii, sed Dominica subsequente. Et concedimus etiam, quod Polycrates cum non paucis aliis Episcopis contenderunt non discedendum esse a Consuetudine. Verum quid inde? Comminatus quidem fuit Victor excommunicationem, sed non praestitit, et intra minas se continuit. Quinimo agente praesertim S. Irenaeo Episcopo Lugdunensi permisit ut quis propriae Ecclesiae retineret consuetudinem. Ergo non agebatur tunc de controversia fidei sed potius disciplinae. Circa autem quaestionem Baptismi collati ab Haereticis, dicimus, quod

licet Stephanus acerrime pugnaverit pro validitate hujusmodi Baptismatis, non tamen id finali decreto definiverat, quapropter poterat Cyprianus, et alii existimare quaestionem illam pertractari argumentis, non definitionibus, et ea de causa pax non fuit turbata. Non inde tamen omnimode excusamus Cyprianum, quinimo dicimus cum Magno Augustino, quod Martyrio suum expiavit errorem.

Ad ultimum respondemus, quod licet Joannes XXII. propensus fuerit in sententiam differendae beatitudinis, nunquam tamen aliquod decretum hac super re edidit, sed dumtaxat cum quaestio agitari coepit, aliqua monumenta collegit, quae Theologis dedit perpendenda. Sed quid ex hoc? Concludendum igitur etc.

Et haec dicta sufficiant, ut ratio simplicis institutionis postulat, de Romano Pontifice supremo Pastore totius Christi Ecclesiae, si solum addamus quinam ipsi usque ad praesentem diem fuerint.

SERIES.

Summorum Pontificium a D. Petro Principe Apostolorum usque ad actu regnantem Gregorium XVI.

Non omnino quidem convenit inter Scriptores Ecclesiasticos in texenda Chronologia Summorum Pontificum. Sed quoniam varietas non essentialis est; et tamen non parum interest scire, quinam in quovis tempore, ut verus, et legitimus Petri successor rexerit Christi Ecclesiam;

idcirco sequentem damus seriem, prout R. P. Thomas ex Charmes exscripsit ex Bullario Magno. Itaque in

SAECULO I.

1. *S. Petrus Galiaeus*, postquam Antiochiae septem annis sedisset, venit Romam anno secundo Claudii Imperatoris, juxta D. Hieronymum de viris illustribus; ibique fixit Sedem Apostolicam, quam rexit annis 24. mensibus 3, et diebus 12, et martyrio coronatus est anno Christi 68: Neronis vero 13 die 29 Junii. Statim electus fuit successor

2. *S. Linus Tuscus*, patria Volaterranus. Sedit iste an. 11. mensibus 2, diebus 23, et Martyr occubuit anno 79 die 23 Septembris sub Vespasiano. Eadem die creatus est.

3. *S. Cetus Romanus*. Sedit iste an. 11, mensibus 7, diebus 2; et anno 91. die 26 Aprilis martyrio coronatus est sub Domitiano. Post dies 24 creatus fuit 21 Maji

4. *S. Clemens* I. *Romanus*. Sedit hic an. 9: mensibus 6, diebus 4., et martyr occubuit sub Trajano anno 100 die 23 Novembris. Post dies 22

SAECULO II.

5. Creatus est *S. Anacletus Atheniensis* anno 100 die 15 Decembris. Sedit Anacletus annos 9, menses 2. dies 28 et martyr occubit sub Trajano an. 110 die 13 Julii. Et post dies 13, scilicet die 27 Julii an. 110 creatus est

6. *S. Evaristus ex Bethlehem in Syria.* Sedit iste an. 8., mense uno, diebus 27. et martyr occubuit sub Trajano an. 118 die 26 Octobris. Et post dies 19. scilicet die 12 Novembris ejusdem anni 118 creatus fuit.

7. *S. Alexander* I. *Romanus.* Sedit Alexander an. 10, mensibus 5. diebus 21., et sub Hadriano martyrio coronatus est, an. 129. die 3. Maji. Post mensem unum, et dies 5. scilicet die 7 Junii ejusdem anni 129. electus fuit

8. *S. Sixtus* I. *Romanus.* Sedit ipse an. 9. mensibus 10, et martyr occubuit sub: Antonino anno 139: die 6. Aprilis. Et post duos dies, scilicet die 9 aprilis 139 creatus est

9. *S. Thelesphorus Thuriensis*, sive ex Terra nova in Calabria. Sedit hic an. 10, mensibus. 8, diebus 27.; et Martyr occubuit sub Antonino, an. 150 die 5. Januarii. Et post. 7. dies, scilicet die 11 Januarii ejusdem anni 150 creatus est

10. *S. Higynus Atheniensis.* Qui sedit annis 3. mensibus 11. diebus 28.; et martyr occubuit sub Antonino, an. 154 die 11 Januarii. Et post tres dies, scilicet die 15 Januarii ejusdem anni 154 creatus est

11. *S. Pius* I. *Aquilejensis.* Sedit Pius an. 11. mensibus 5. diebus 27., et sub Antonino juxta Martyrologium Rom. vel sub Marco Aurelio, juxta lib. de Rom. Pontificibus martyrio coronatus est an. 165, die 11. Julii. Post dies 13., scilicet die 25 Julii ejusdem anni 165 creatus est

12. *S. Anicetus* I. *Syrus.* Sedit iste an. 9: men-

sibus 8, diebus 24. Et sub Aurelio Martyr occubuit anno 175 die 17 aprilis. Et die 5. maji ejusdem anni 175 electus fuit Pontifex

13. *S. Soter ex Fundis in Campania.* Sedit Soter an. 7. mensibus 11. diebus 17.; et Martyr occubuit sub Marco Aurelio an. 182. die 22 Aprilis. Et post dies 21, scilicet die 14. Maji ejusdem anni 182 creatus fuit.

14. *Eleutherius Nicopolitanus.* Sedit hic an. 13., diebus 13, et Martyrio coronatus est sub Commodo, anno 195. die 26. Maji. Post dies 5., scilicet die 31 Maji ejusdem anni 195 creatus est

15. *S. Victor* I. *Afer.* Sedit Victor an. 9. mense uno, diebus 26., et martyr occubuit sub Severo Imp. an. 203. die 28 Julii. Et post dies 11. scilicet die 7. Augusti 203. creatus est

SAECULO III.

16. *S. Zephyrinus Romanus.* Sedit iste an. 18. diebus 18., et obiit an. 221. die 25 Julii. Et post sex dies, scilicet die 2. Septemb. creatus est

17. *S. Callixtus Romanus.* Sedit iste an. 5. mense uno diebus 12., et martyr occubui sub Severo an. 227. die 26 Maii: et die 1. Octobris an. 227 creatus est

18. *S. Urbanus* I. *Romanus*; qui sedit annis sex, mensibus 7. diebus 4, et martyrio coronatus est anno 233 die 25 Maji. Post 30 dies creatus fuit, scilicet anno 233, 24 Junii

19. *S. Pontianus Romanus*. Sedit annis 4. mensibus 4 dieb. 25 et exul in Sardinia martyr obiit sub Maximino anno 237 die 19 Novembris. Et post 4 dies, scilicet anno 237 die 21 Novembris creatus est

20. *S. Anterus Graecus*. Sedit hic mense uno, diebus 12, et martyrio coronatus est sub Maximino. Post. dies 13, scilicet anno 238 die 17 Januarii creatus est.

21. *S. Fabianus Romanus*. Sedit Fabianus annis 15, diebus 4 et martyr occubuit sub Decio. Et post annum unum, menses tres, et 10 dies, scilicet anno 254. die 30 Aprilis creatus est

22. *S. Cornelius Romanus*. Sedit iste annis 2, mensibus 4, et diebus 14 et martyr obiit anno 256 die 14 septembris. Et post dies 35 creatus fuit *S. Lucius* Romanus

SCHISMA I.

Contra Cornelium, et illius successores per 6 circiter annos sedit Antipapa *Novatianus* presbyter Cardinalis. Hic Schismati haeresim adjungens, negavit Ecclesiae potestatem remittendi peccata; unde exorta est secta Novatianorum

23. *S. Lucius Romanus* itaque creatus est anno 256 die 20 Novembris. Sedit annis 2. mensibus 3. diebus 13; et martyr obiit anno 258 die 4 Martii. Et post mensem 1. et unum diem, scilicet an. 158. die 6 Aprilis, creatus est

24. *S. Stephanus* I. Sedit annis 2, mensibus 3, diebus 26 et jussu Valeriani decollatus est anno 260

die 2 Augusti. Et post dies 22, scilicet anno 260, die 24 Augusti creatus est

25. *S. Sixtus* II. *Atheniensis*. Sedit mensibus undecim et diebus 13 ; et martyr occubuit sub Valeriano anno 261. die 6. Augusti. Post triginta tres dies, scilicet die 10 Septembris an. 261 creatus est

26. *S. Dionysius Graecus*. Sedit annis 11. mensibus 3. diebus 14; et obiit an. 272. die 26 Decembris. Post 5 dies, scilicet die 31. Decemb. ejusdem anni 271 creatus est

27. *S. Felix* I. *Romanus*. Sedit Felix an. 2. mens 4, dieb. 29, et martyrio coronatus est an 275, die 30 Maji. Et post dies 5. scilicet die 4. Junii an. 275. creatus est

28. *S. Eutychianus Tuscus*. Sedit an. 8. mens. 6. dieb. 4., et obiit martyr sub Numeriano, an. 283 di 8 decemb. Et post dies 8; scilicet die 17 Decemb. 283. creatus est

29. *S. Cajus* ex *Dalmatia*. Sedit an. 12; mens. 4., dieb. 6, et Diocletiani sui consanguinei fugiens persecutionem obiit an. 296., die 22 aprilis. Post menses 2. et dies 9; scilicet an. 296. die 1 Julii creatus est

30. *S. Marcellinus Romanus*. Sedit annis 7. mensibus 9, dieb. 27; et Martyr occubuit sub Maximiano die 26 Aprilis an 304. Et post menses circiter 7; scilicet an. 304. die 31 Novemb. creatus est

SAECULO IV.

31. *S. Marcellus* I. Rom. Sedit iste an. 5. mens. 6. dieb. 21., et damnatus ad stabula Diocletiani plenus miseriarum obiit die 6. Januarii an. 310. Post dies 20; scilicet die 5. Febb. an. 310. creatus est

32. *S. Eusebius Graecus*. Sedit an. 1. mens. 7. dieb. 21, et obiit sub Maxentio anno 312. die 26. Septemb. Et post dies 15.; scilicet die 12. Octob. ejusdem an. 312. creatus est

33. *S. Melchiades Afer*. Sedit an. 2. mens. 2. dieb. 21. Et obiit die 10. Decemb. an. 314. Post dies 16., scilicet die 27. Decemb. ejusdem: an. 314. creatus est

34. *S. Sylvester Rom*. Sedit Sylvester anno 21. dieb. 4. et obiit an. 335. die 31. Decemb. Hic S. Pontifex baptizavit Constantinum Magnum. Post dies 15 scilicet die 16. Jan. an. 336 creatus est

35. *S. Marcus Rom*. Sedit mens 8. diebus 21; et obiit die 7. Octob. Et post dies 20; scilicet die 27 Octob., an. 336 creatus est

36. *S. Julius Rom. I.* Sedit iste an. 15: mens. 5. dieb. 37; et obiit die 12 Apr. an. 352. Post dies 25; scilicet die 8. Maji an. 352. creatus est

37. *S. Liberius Rom*. Post aliquot Pontificatus annos in exilium missus fuit a Constantio Imperatore. Unde locum habuit in Ecclesia.

SCHISMA II.

Inter Liberium Papam, et Felicem Anti-papam.

Itaque Felix, vivente Liberio, 'opera Constantii sedem Apostolicam occupavit. Verum veluti Anti-papa a Romanis semper habitus fuit, donec, cognita Liberii communicatione cum Arianis, et ejusdem subscriptione tum damnationi Div. Athanasii, cum formulae fidei ambiguae, in Pontificem pro Liberio electus fuit. Sic

38. *S. Felix* II. *Rom.* Pontificatum tenuit anno uno, mensibus 3, dieb. 2, et Martyrio coronatus est Post Felicis mortem, iterum Liberius Pontificatum obtinuit. Et computato tempore Felicis, sedit an. 15. mens. 4. dieb. 17. et obiit an. 367. die 19 Septemb. Post dies 5. scilicet die 15. septemb. anni 367. creatus est

39. *S. Damasus Hispanus.* Sedit Damasus an. 17. mens. 2. dieb. 26.; et obiit an. 384. die 11. Decem. Sub Damasi Pontificatu locum habuit

SCHISMA III.

Etenim *Ursicinus* S. R. E. Diaconus aegre ferens Damasi electionem, seditione facta, vi, et armis pontificatum contendit. Sed tandem ex Urbe ejecto, Damasus pacifice deinceps regnavit. Et mense uno circiter post illius mortem; scilicet die 12. Januarii an. 385. creatus fuit.

40. *Siricius Rom.* Sedit iste an. 13. mens. 1. diebus 9; et obiit die 22. Feb. an. 398. Et post 20 dies; scilicet die 14. Martii an. 398. electus fuit

41. *S. Anastasius* I. *Rom.* Sedit Anastasius an. 4. mense uno, dieb. 13, et mortuus est die 17. Aprilis an. 402. Et post dies 20 scilicet die 8 Maji an. 402. electus fuit

SAECULO V.

42. *S. Innocentius* I. *Albanus.* Sedit iste an. 15. mens. 2. dieb. 10, et obiit an. 417. die 27 Julii. Post dies 22. ejusdem anni 417.; scilicet die 20 Augusti 417. creatus fuit

43. *S. Zosimus Graecus.* Sedit an. uno, mens: 4. dieb. 7., et obiit an. 418. die 26 Decemb. et die 28. ejusdem mensis, et anni creatus est

44. *S. Bonifacius* I. *Rom.* Sedit an. 4. mens. 9. dieb. 26. et obiit. an. 423. die 25 Octob. sed locum habuit

SCHISMA IV.

Inter Bonifacium, et Aulalium Anti-papam.

Etenim post electum Bonifacium, Eulalius S. R. E. Archidiaconus eligitur in Basilica Lateranensi. Sed jussu honorii Imperatoris coacta synodo Ravennae, Eulalius depositus fuit, qui et abdicavit post circiter tres menses; et sic Bonifacius pacifice regnavit. Mortuo Boni-

facio post 10 dies, scilicet die 5. Novemb. an. 423. creatus fuit.

45. *Caelestinus* I. *Rom.* Sedit ipse an. 8. mens. 5. dieb. 3. et obiit an. 432. die 6. Aprilis post dies 21 ab illius morte, idest die 28. Aprilis an. 432 creatus est

46. *S. Sixtus* III. *Rom.* sedit hic an. 7. mens. 11., et obiit an. 440 die 28 Martii post dies 14, scilicet die 12 Maii an. 440 electus fuit

47. *S. Leo Magnus Tuscus.* Sedit an. 20. mens. 10. dieb. 28, et obiit an. 461. die 16 Aprilis et post 17 dies; videlicet die 29 Aprilis an. 461 creatus est

48. *S. Hilarius Sardus.* Sedit iste an. 6, mensib. 13 diebus 10, et obiit an. 467 die 10 Septemb. Post dies 9. scilicet die 20 Sept. ejusdem anni 467 creatus fuit

49. *S. Simplicius Tiburtinus.* Sedit an. 15. mens. 5, dieb. 12. et obiit an. 483 die 2. Martii et post dies 5, idest die 8. Martii an. 483. electus fuit

50. *Felix* III. *Rom.* sedit iste an. 8. mens. 11, dieb. 18, et obiit an. 592. die 25 Feb. et post dies 4, scilicet die 2. Martii an. 492. creatus fuit

51. *S. Gelasius* I. *Afer.* Sedit an. 4. mensib. 8. dieb. 19., et mortuus est an. 496. die 21. Novemb. et post 3 dies, nempe die 27 Novemb an. 496. creatus est

52. *S. Anastasius* II. *Rom.* sedit an. 1. mens. 11. dieb. 23. et obiit anno 498, die 19 Novemb. et post tres dies scilicet die 23 Novemb. an. 498. creatus est

53. *S. Symmachus Sardus.* Sedit an. 15. mens. 7. dieb. 27. et hobiit an. 514. die 19. Julii. Et post 6. dies scilicet die 26 Julii, an. 514. electus est, *post schis-*

ma V. inter Symmacum , et Coelium Laurentium Spurium.

SAECULO VI.

54. S. Hormisdas Campanus. Sedit iste an. *9.* et dieb. 10 , et obiit an. 523. die 12. Aug. Ac post 5. dies , scilicet die 12 Aug. an. *523* creatus fuit

55. *S. Joannes* I. *Tuscus*. Vixit iste an. 2., mens. 9. dieb. *16.* et obiit an. 526 , die 27. Maji. Et post dies 28. scilicet die 2. Julii , an. 526. creatus est

56. *S. Felix* IV. *Beneventanus*. Sedit an. *4.* mens. 2. dieb. 18. et obiit an. 530 die 12. Octob. et post tres dies ; scilicet 16. Octob. an. 530. creatus fuit

57. *Bonifacius* II. *Rom.* Sedit iste an. uno , et obiit die 16. Octob. an. 531. Sed fuit

SCHISMA VI.

Inter Bonifacium II. Papam , et Dioscorum Diaconum.

Itaque , mortuo Bonifacio II. post dies *4.* scilicet die 22. Jan. an. 531. creatus est

58. *Joannes* II. *Rom.* Sedit an. 2. mens. 4. et obiit an. 534. die 22. Maji. Et post dies 12. scilicet die *4.* Junii an. 534. electus fuit

59. S. Agapetus Rom. Sedit hic mensib. 11. dieb. *19.* et obiit Constantinopoli an. 536. die 22. Aprilis Post menses duos , et dies 27 ; scilicet die 10. Julii an. 536. creatus est.

60. *S. Sylverius Campanus*, S. Hormisdae ex legitimo thoro Filius. Sedit iste an. tribus, mensib. 11, et obiit martyr. in Insula Pontia an. 540, die 20 Junii. Sed fuit

SCHISMA VII.

Inter Sylverium Papam, et Vigilium Anti-papam.

Etenim cum Sylverius jussu Theodorae Imperatricis Sponsae Justiniani in exilium missus fuisset a Belisario, propterea quod renuit restiture in sedem Costantinopolitanam Antimum ab Agapeto depositum: Vigilius S. R. E. Archidiaconus opera ejusdem Theodorae Pontificiam sedem occupavit, et sic schisma perduravit usque ad mortem Sylverii. Sed quarta die post Sylverii mortem; scilicet die 24. Junii an. 540 legitime confirmatus fuit

61. *Vigilius Rom.* qui cum non praestitisset fidem Theodorae restituendi Antimum in sedem Costantinopolitanam, quinimo et illum simul cum Theodora excommunicavit, propterea exul factus fuit. Sedit tamen an. 18. mensibus 6. dieb. 13. et obiit ann. 556. die 10. Januarii. Post menses tres, et dies 5, scilicet die 15 Aprilis an. 556 creatus fuit

62. *Pelagius* I. *Rom.* Sedit anno 3. mens. 10. dieb. 18. et obiit an. 560, die 3. Martii. Post menses duos, et dies 27. scilicet die 29. Maji, an. 560. creatus fuit

63. *Joannes* III. *Rom.* Sed consecratus die 17. Julii. Sedit an. 13. mense uno, dieb. 15., et obiit an. 573. die 13. Julii. Post menses 10. et dies 3. scilicet die 17. Maji, an. 573. creatus fuit

64. *Benedictus* I. *Rom.* Sedit an. 5. mens. 2. dieb. 15, et obiit an. 579. die 31. Augusti. Et post menses duos, et dies 10. scilicet die 11. Novemb. an. 579. electus fuit

65. *Pelagius* II. *Rom.* ex ordine D. Benedicti. Sedit an. 10. mens. 2. dieb. 27. et obiit ann.590 die 8. Feb. et post menses 6. et dies 22. scilicet die 3. Sept. an. 590. creatus fuit

66. *S. Gregorius Magnus Rom.* item Benedictinus. Sedit an. 13. mens. 6. et dieb. 9. et obiit an. 604. die 12. Aug. Et post menses 5. et dies 19. scilicet die 1. Sept. an. 604. creatus est

SAECULO VII.

67. *Sabinianus Tuscus* Sedit mens. 5. dieb. 19. et obiit an. 605. die 19. Feb. et statim die 21. Feb. ejusdem an. 605. creatus fuit

68. *Bonifacius* III. *Rom.* Benedictinus. Sedit iste mens. 8. dieb. 22. et obiit die 12. Novemb. et post menses 9. et dies 15. scilicet die 28. Augusti, an. 606. creatus fuit

69. *Bonifacius* IV. *Rom.* item Benedictinus. Sedit hic an. 6. mens. 8. dieb. 12. et obiit an. 612. die 8. Maji. Et post menses 5. et dies 12. scilicet die 21. Octob. an. 612. creatus fuit

70. *S. Deodatus* Rom. Benedictinus. Sedit an. 4. dieb. 17, et obiit an. 616. die 8. Novem. Et post mensem unum, et dies 15. scilicet die 24 Decemb. an. 616. creatus fuit

71. *Bonifacius* V. *Neapolitanus*. Sedit an. 5. mens. 10. et obiit an. 622. die 24. Octob. Et post dies 13. scilicet die 7. Novemb. an. 622. creatus est

72. *Honorius* I. *Campanus*. Sedit. an. 12. mens. 11. dieb. 7. et obiit an. 635. die 13. Octob. Et post an. unum, menses 7. et dies 18. scilicet die 1. Junii an. 637. creatus est

73. *Severinus Rom*. Sedit iste an. 1. mens. 2. et obiit an. 638. die 1. Augusti, et post menses 4. et dies 23. videlicet die 25. Dicemb. an. 638. creatus est

74. *Joannes* IV. *Dalmata*. Sedit. an. unum, menses 9. et dies 18. et obiit an. 640. die 12. Octob. Et post mensem unum, et dies 5. scilicet die 26. Novemb. an. 640. creatus est

75. *Theodorus* I. *Jerosolymitanus*. Sed. an. sex, mens. 5. dieb. 19. et obiit an. 647. die 13. Maji, et post mensem unum, et dies 21. scilicet die 4. Junii, an. 647. creatus est

76. *Martinus* I. *Tuscus*. Sedit an. 9. mensib. 4. dieb. 6. et obiit an. 653. die 12. Novemb. Et post menses 9. scilicet die 10. Aug. an. 654. creatus est

77. *S. Eugenius I. Rom*. Sedit iste an. 2. mens. 9. dieb. 24. et obiit die 2 Junii an. 657. et post duos circiter menses, scilicet die 1. Aug. an. 657. creatus est

78. *Vitalianus* I. *Campanus*. Sedit Vitalianus an.

14. mens. 5. dieb. 2. et obiit die 2. Jan. an. 672. et post mens. 3. dies 8, scilicet die 11. Aprilis, an. 672. creatus est

79. *Deodatus* II. *Rom.* Bened. Sedit iste an. 4. mens 2. dieb. 14. et obiit die 26. Junii an. 676. Post mens 4. et dies 6. scilicet die 2. Novemb. an. 676. creatus est

80. *Donus Rom.* Sedit hic an. 2. mens. 5. dieb. 8. et obiit die 11. Aprilis an. 679. et post mensem unum, et dies 26. scilicet die 7. Junii an. 679. creatus est

81. *S. Agatho Siculus* Ordinis S. Equirii. Sedit Agatho an. 2. mens. 6. et obiit die 10. Januarii an. 682. et post menses 7. scilicet die 11. Aug. an. 682. creatus est

82. *S. Leo* II. *Siculus* Can. Regul. sedit mens. 10 dieb. 16 et obiit an. 683. die 28 Junii: et post menses 11. scilicet die 19 Junii an. 684. creatus est.

83. *S. Benedictus I.* Can. Reg. Lat. Sedit iste mens. 10, et dieb. 27, et obiit an. 685. die 7 Maji. Et post mens. 2. et dies 17, scilicet die 25 Julii an. 685. creatus est

84. *Joannes* V. *Syrus.* Sedit hic an. 1. dieb. 7. et obiit die 2. Augusti an. 686. Et post mens. 2. et dies 18 scilicet an. 686. die 21 Octob. creatus est

85. *Conon Trax.* Sedit. Conon Mens. II., et obiit die 21. Septemb. an. 687. Sed locum habuit.

SCHISMA VIII.

Inter Cononem Papam , et Theodorum , ac Petrum Presbyteros Romanos.

Schisma istud non estinctum fuit morte Cononis. Etenim divisi electores in tres partes , nonnulli elegerunt eumdem Theodorum ; alii Paschalem Archidiaconum , et plures , ac Saniores elegerunt Sergium , qui tandem unanimiter legitimus Pontifex fuit proclamatus. Itaque

86. *Sergius* I. *Syrus* creatus fuit an. 687. die 25. Decemb. Sedit an. 13. mens. 8. , et dieb. 13. et obiit an. 701. die 8. Sept. Et post mens. 1. et dies 2. scilicet die 29. Octob. an. 702. creatus est

SÆCULO VIII.

87. *Joannes* VI. *Graecus.* Sedit hic an. 3. mens. 2. dieb. 8. , et obiit an. 705. die 7. Jan. Et post mens. 1. , et dies 21. , scilicet die 1. Martii an. 705. creatus est

88. *Joannes* VII. *Graecus.* Sedit an. 2. mens. 7. et dieb. 17. , et obiit an. 707. die 18. Octob. Et illico eodem die creatus est

89. *Sisinus Syrus.* Sedit dieb. 20., et obiit. Et post mens. 1., et dies 16 , scilicet die 23. Decemb. an. 707. creatus est

90. *Constantinus Syrus.* Sedit hic an. 8. mens. 1. dieb. 18. , et obiit anno 716. , die 11. Feb. Et post

mens. 1. et dies 10. Scilicet die 21. Martii an. 716. creatus est

91. *Gregorius* II. *Rom*. *Bened.* Sedit an. 15. mens. 10. dieb. 20. et obiit an. 731. die 11. Feb. et post dies 21., scilicet die 5. Martii an. 731 creatus est

92. *Gregorius* III. *Syrius*. Sedit iste an. 10. mens. 8. dieb. 22. et obiit an. 741. die 28. Novemb.: et post duos dies, scilicet die 1. Decemb. an. 741. creatus est

93. *Zacharias Graecus* Can. Reg. deinde Bened. Sedit Zacharias an. 10. mens. 3. dieb. 13. et obiit. an. 752 die 15. Martii. Et post dies 9. scilicet die 25. Martii an. 752. creatus est

94. *Stephanus* II. *Rom*. Sedit hic solis 4. dieb. et mortuus est die 28. Martii, qua propter a nonnullis non adnumeratur: et die sequenti, scilicet 29. Martii an. 752. creatus est

95. *Stephanus* III. *dictus* II. *Rom*. Canon. Reg. Sedit an. 5. dieb. 28. et obiit an. 757. die 26. Apr. Et post mens. 1. et dies 2. creatus est, scilicet die 29. Maji, an. 757

96. *S. Paulus* I. *Rom*. *Stephani* III. Frater germanus. Sedit an. 10. mens. 1. et obiit an. 767. die 29. Junii. Sed locum habuit

SCHISMA IX.

Inter Paulum I., et Theophylacium Anti-papam, qui tamen brevi legitimo Pontifici se subjecit.

Post autem mortem Pauli I. Constantinus laicus vi, et armis supremum Pontificatum arripuit, et administravit 13. mensibus. Tandem Clerus Romanus ad legitimam electionem processit, in qua nonnulli *desiderio* Regi Longobardorum adhaerentes, elegerunt *Philippum* Abbatem Longobardorum, qui statim ejectus fuit a majori, et saniore parte cleri, a qua canonice die 5. Aug. an 768. electus fuit

97. *Stephanus* IV. dictus III. Siculus Canon. Regul. postea Benedict. Sedit iste an. 3. mens. 5. dieb. 25., et obiit an. 772. die 31. Jan. Et post dies 8. die 9. Feb. an. 772. electus est.

98. *Hadrianus* I. Sedit hic an. 23. mens. 10. dieb. 17., et obiit an. 795. die 26. Novemb., et proxima seq. die 27. Decemb. ejusdem anni 795. creatus est

99. *Leo* III. ex Can. Reg. factus Bened. Sedit iste an. 20., mens. 4. dieb. 15., et mortuus est an. 816. die 12. Junii. Et post dies 20., scilicet die 3. Julii an. 816. creatus est

SÆCULO IX.

100. *Stephanus* V. *dictus* IV. *Rom.* Sedit hic mens. 6. dieb. 22., et obiit an. 817. die 25. Januarii. Et

post 2. dies, scilicet die 28. Januarii, an. 817. creatus est

101. *S. Paschalis* I. Rom. Bened. Sedit hic an. 7. mens. 3. dieb. 17. et obiit die 14. Maji an. 824. et post dies 4., scilicet die 19. Maji, an. 824. creatus est

102. *Eugenius* II. *Rom.* Sedit Eugenius an. 3. mens. 6. dieb. 22., et obiit an. 827. die 12. Decemb. sed fuit

SCHISMA X.

Inter Eugenium II. et Zinzinnum Anti-papam.

Mortuo Eugenio statim, scilicet die 14. Decemb. an. 827. creatus est

103. *Valentinus Rom.* Sedit Valentinus dieb. 40. et propterea obiit die 23. Januarii an. 828. Et statim, scilicet die 26. Januarii an. 828. creatus est

104. *Gregorius* IV. *Rom.* Bened. Sedit hic an. 16., et obiit an. 844. die 25. Januarii. Post dies 15., scilicet die 10. Februarii 844., expulso *Joanne* Diacono ex palatio Lateranense, quod per unius horae spatium vi occupaverat, creatus est

105. *Sergius* II. *Rom.* Sedit Sergius an. 3. mens. 2. dieb. 2., et obiit an. 848. die 12. Aprilis; et statim eodem die 12. Aprilis 848. creatus est

106. *S. Leo* IV. *Rom.* Ex Con. Reg. factus Bened. Sedit Leo an. 8. mens 3., dieb. 14. et obiit an. 855. die 17. Julii et post dies 6., scilicet die 24. Ju-

lii an. 855. creatus est, sed propter Schisma consecratus die 29. Septembris, ejusdem anni

107. *Benedictus* III. *Can. Reg. Rom.* Sedit Benedictus a die consecrationis an. 2. mens. 6. dieb. 10., et obiit an. 858. die 8. Aprilis. Itaque hoc

SCHISMA XI.

Fecit Anastasius presbyter, qui auxilio Ludovici II. Imperatoris, Benedictum spoliavit pontificatu, qui tamen illi restitutus fuit. Igitur post die 15. a morte Benedicti, scilicet die 24. Aprilis an. 858. creatus est

108. *Nicolaus* I. cognominatus *Magnus*. Sedit iste an. 9. mens. 6. dieb. 20. et obiit an. 867. die 13. Novemb. et post dies 7., die 21. Novemb. an. 867, creatus est

109. *Hadrianus* II. *Rom.* Sedit Hadrianus an. 4. mens. 11. die 1. et obiit an. 872. die 1. Novemb. Et post mensem unum, et dies 12., scilicet die 14. Decemb. an. 872. creatus est.

110. *Joannes* VIII. *Rom.* Sedit iste an. 10., mens. 4., die una, et obiit an. 882. die 15. Decemb. Quoniam Pontifex iste foeminea pusillanimitate tolleravit invasionem sedis Constantinopolitanae factam a Photio, idcirco occasio fuit fabellae, quae ab haereticis circumfertur de papissa Joanna. Post dies 4. a morte Joannis, scilicet die 19. Decemb. an. 882. creatus est

111. *Marinus* I. ex Montefiascone. Sedit an. 1. et mense 1., et obiit an. 884. die 18. Januarii. Et post duos dies, scilicet die 21. Januarii an. 884. creatus est

112. *Hadrianus* III. *Rom.* Sedit. an. 1. mens. 3. dieb. 29., et obiit an. 885. die 9 Maji. Post 3. dies, scilicet die 13. Maji. an. 885. creatus est

113. *Stephanus* VI. *Rom.* Sedit an. 6. dieb. 7. et obiit die 21. Maji. an. 891. Et post dies quinque, scilicet die 27. Maji, an. 891. creatus est

114. *Formosus Portuensis* Can. Reg. Sedit an. 4. mens. 6. dieb. 16. et obiit an. 895. die 14. Decemb.

SCHISMA XII.

Fecit Sergius Diaconus contra Formosum.

Post mortem Formosi die 4, scilicet 17. Decem. an. 895. creatus est

115. *Bonifacius* VI. *Rom.* oriundus ex Tuscia. Sedit dieb. 15. et obiit die 31. Decemb., et propter tam breve regimen a nonnullis non adnumeratur inter Pontifices. Post 5. dies, scilicet 6. Januarii an. 896. creatus est

116. *Stephanus* VII. *Rom.* Sedit an. 1. mens 2. dieb. 17. et obiit die 24. Martii an. 897

SCHISMA XIII.

Fecit Bonifacius Anti-papa contra Stephanum. Sed post dies 15. a Stephano VII. fuit expulsus.

Itaque 5. die a morte Stephani, scilicet 28. Martii an. 897. creatus est

117. *Romanus* ex Monte Fiascone nepos Marini I.

Sedit mens. 4. dieb. 21. et obiit an. 897. die 19. Augusti et sequenti die 20. Aug. an. 897. creatus est

118. *Theodorus* II. *Rom.* Sedit dieb. 20. et obiit die 8. *S*ept. Et die sequenti, 9 scilicet Sept. an. 897. creatus est

119. *Joannes* IX. *Tiburtinus* Bened Sedit. an. 2. dieb. 13. et obiit an. 899. die 23. Sept. et sequenti die 24. an. scilicet 899. creatus est

120. *Benedictus* IV. *Rom.* Can. Reg. Later. Sedit an. 3. mens. 6. dieb. 14. et obiit an. 903. die 8. Aprilis et post sex dies, scilicet die 15. Aprilis an. 903. creatus est

SAECULO X.

121. *Leo* V. *Ex villa Priapi in Latio Bened.* Sedit mense uno, dieb. 9. et coactus abdicavit die 24. Maji, et ad claustra rediit, et eadem die 24. Maji an. 903. se fecit Pontificem

122. *Christophorus Rom.* Sedit mens. 7. Etenim die 25. Decembris ejusdem anni a *Sergio*, auctoritate Marotiae Conjugis ducis Tusciae fuit ejectus. Et eadem die 25. Decemb. an. 903. creatus fuit

123. *Sergius* III. *Rom.* ex Comitibus Tusculanis. Sedit an. 7. mens. 3. dieb. 24. et obiit an. 911. die 14. Aprilis. Ut dictum est, jam fuit

SCHISMA XIV.

Inter Leonem V., Christophorum, et Sergium III. an. 903. mortuo Sergio, die sequenti, scilicet 15. Apr. ann. 911. creatus est.

124. *Anastasius* III. *Rom.* Sedit an. 2., mens. 1. dieb. 19., et obiit an. 913. die 4. Junii. et post 2. dies; scilicet 7. Junii an. 913. creatus est

125. *Lantus Sabinus* Can. Reg. Later. Sedit mens. 6. dieb. 20., et obiit an. 913 die 18. Decemb. Et post dies 26., scilicet die 24. Januarii an. 914. creatus est

126. *Joannes* X. *Rom.* de familia Cinthia. Sedit an. 14. mens. 2. dieb. 12. et obiit an. 928. die 6. Aprilis. Et post dies 4. scilicet die 11. April. an. 928. creatus est

127. *Leo* VI. *Rom.* Sedit mens. 6. dieb. 11. et obiit an. 928. die 23. Octob. et die sequenti 24. Oct. an. 928. creatus est

128. *Stephanus* VIII. *Rom.* Sedit an. 2. mense 1. dieb. 13. et obiit an. 930. die 8. Decembris. Post dies 2. scilicet 11. Decemb. an. 930. creatus est

129. *Joannes* XI. *Rom.* ex Comit. Tusculanis. Sedit an. 4. mens. 10 dieb. 13. et obiit an. 935. die 25. Octobris et die 27. ejusdem mens. et an. 935. creatus est

130. *Leo* VII. *Rom.* Sedit an. 3. mens. 6. dieb. 9. et obiit 6. Maji. an. 939. Et post mens. 1, scilicet die 7. Junii an. 939. creatus est

131. *Stephanus* IX. *Rom.* Sedit an. 2. mens. 4. dieb. 13. et obiit die 21. Octob. an. 942. Et post dies 10, scilicet 1. Novemb. an 942. creatus est

132. *Marinus* II. *Rom.* Sedit an. 3. mens. 6. dieb. 12. et obiit die 14. Maji an. 946. Et post tres dies, scilicet 18. Maji ejusdem an. 946. creatus est

133. *Agapetus* II. *Rom.* Sedit an. 9. mens. 7.

dieb. 8. et obiit die 27. Decemb. an. 955. Et post dies 12. scilicet 9. Januarii an. 956. creatus est

134. *Joannes* XII. *Rom.* ex Fara de Comitibus. Sedit an. 8. mens 4. dieb. 5. et obiit die 14. Maji. an. 964. et statim a Populo et Clero Rom. eodem die creatus est

135. *Benedictus* V. *Rom.* Sedit mense uno, et aliquot dieb. et per vim amatus, et relegatus fuit Hambourg, ubi mortuus est die 3. Julii an. 965. Itaque

SCHISMA XV.

Fecit Leo anti-papa dictus VIII. qui auctoritate Othonis I. Imperat. Sedit an. 1. mens. 3. et diebus II. contra Joan. XII. et Benedictum V. Et die 6. Octob. an. 965. creatus est

136. *Joannes* XIII. *Rom.* Sedit an. 6. mens. 11. et obiit die 6. Sept. an. 972. et post dies 13. scilicet die 20. Sept. an. 972. creatus est

137. *Donus* II. *Rom.* Sedit mens. 3. et obiit die 19. Decemb. ejusdem an. 972. et seq. die 20. Decemb. an. 972. creatus est

138. *Benedictus* VI. *Rom.* Sedit an. 1. mens. 3. et die 19. Martii an. 974. coactus abdicavit. Et non multo post. in Adriani mole jugulatus est. et die 30. Martii an. 974. creatus est

139. *Bonifacius* VII. Sedit an. 1. mense 1. dieb. 11. et die 11. Maji an. 975. coactus est abdicare, et expulsus est ex Urbe. Deinde mortuo Benedicto VI. reversus iterum vi pontificatum tenuit mens. 4. et dieb.

8. et iterum expulsus fuit a Benedicto VII. et excommunicatus a Concilio Rom. Obiit an. 985. die 21. Julii, anno fere uno post Benedictum VII. et die 29. Maji an. 975. creatus fuit

140. *Benedictus* VII. *Rom.* Sedit an. 9. mense uno dieb. 10. et obiit die 10. Julii an. 984. Post quinque dies, scilicet 16. Julii an. 984. creatus est

141. *Joannes* XIV. Papiensis. Sedit mens. 8. et Pontificatu spoliatus fuit a Bonifacio VII. Itaque fuit

SCHISMA XVI.

Inter Bonifacium VII. benedictum VII. et Joannem XIV.

Mortuo Joanne XIV. die 16. Martii an. 985. die 1. Aug. un. 985. creatus est

142. *Ioannes* XV. *Rom.* Sedit an. 9. mens. 6. dieb. 9. et obiit die 9. Februarii au. 995. et statim 11. Feb. ejusdem an. 995 creatus est

143. *Joannes* XVI. Sedit m. 4. et obiit die 9. Junii an. 995. et post dies 6. scilicet 16. Junii an. 995. creatus est

144. Gregorius V. Germanus Othonis Sassoniae, et Sveviae ducis Filius. Sedit an. 2. mens. 8. dieb. 8. et obiit die 18. Febr. an. 998. sed fuit

SCHISMA XVII.

Inter Gregorium V. et Joannem Episcopum Placentinum. Hic auxilio Crescentii Romae Praefecti, usurpavit Pontificatum, assumpto nomine Joannis XVII. Sed excommunicatus a Gregorio V. in Concilio Papiae habito, jussu Imperatoris eidem nares, et aures abscissae fuerunt, atque oculi eruti.

Post menses octo, et dies 10. a morte Gregorii, scilicet die 1. Novemb. an. 998. creatus est

145. *Sylvester* II. Aquitanus Bened. Sedit an. 4. mens. 6. dieb. 13. et obiit an. 1003. et post dies 25. scilicet die 7. Junii an. 1003. creatus est

SAECULO XI.

146. *Joannes* XVII. *Rom.* Sedit mens. 4. dieb. 24. et obiit die 31. Octob. an. 1003. et post dies 19. scilicet die 20. Novemb. an. 1003. creatus est

147. *Joannes* XVIII. *Rom.* Sedit an. 5. mens. 7. dieb. 17. et obiit die 18. Julii, an. 1009. et post mensem unum, scilicet die 18. Augusti an. 1009. creatus est

148. *Sergius* IV. *Rom.* Bened. Sedit an. 2. mens. 9. dieb. 10. et obiit die 28 Maji. an. 1012. et post 2. dies, scilicet die 30. Maji. an. 1012. creatus est

149. *Benedictus* VIII. *Rom.* ex Comit. Tusc. Sedit. an. 11. mens. 8. dieb. 27. et obiit die 27. Februarii an. 1024. Sed fecit

SCHISMA XVIII.

Gregorius intrusus a Romanis, sed expulsus a S. Henrico Imperatore.

Die pros. seq. mort. Benedicti, scilicet die 28. Febr. an. 1024. creatus est

150. *Joannes* XIX. *Rom.* Benedicti VIII. Frater Germanus. Sedit an. 8. mens. 9. dieb. 7. et obiit die 8. Novemb. an. 1032. Et post duos dies, scilicet die 11. Novemb. 1032. creatus est

151. *Bendictus* IX. *Rom.* ex Comitib. Tuscul. Sedit an. 12. mens. 5. dieb. 19. et abdicavit an. 1045. die 1. Maji. Sed

SCHISMA XIX.

Fecit Joannes Rom. Laurentii Filius dictus Silvester III. Interim, cum Benedict. IX. esset Romanis invisus, aliqui Joanni qui dictus est *Joannes* XX. postea *Benedictus*, Silvestro expulso, iterum sedit mense uno, dieb. 21. Erant ergo tres Pontifices, quorum *primus* sedebat apud Lateranum; *secundus* apud S. Petrum in Vaticano; *tertius* apud S. Mariam Majorem, quo calamitatis tempore die 1. Maji an. 1045. electus fuit

152. *Gregorius* VI. *Rom.* Sedit anno uno, mens. 7. dieb. 20. et in Concilio Sutrii, pro tollendo Schismate, coactus abdicavit, an. 1046. die 20. Decembris et die 21. ejusdem mensis, et an. 1046. creatus est

153. *Clemens* II. Germanus. Sedit mens. 9. dieb. 24 et obiit die 15. Octob. an. 1047. Et post mortem ejus Benedictus IX. iterum occupavit Sedem Pontificiam mensib. 9. et die 7. Julii an. 1048. creatus est.

154. *Damasius* II. Bavarus.. Sedit dieb. 23. et obiit die 8. Augusti ejusdem an. 1049. Et post menses 6. et dies tres ; iterum pro quarta vice occupata sede Pontificia a Benedicto IX. quinque mensibus , die 12. Februarii an. 1049. creatus est

155. *S. Leo* IX. antea vocatus *Bruno.* Sedit an. 5. mens. 2. dieb. 6. et obiit die 17. Maji an. 1054.

Notandum , quod in hac serie non numeratur Leo VIII. quia fuit Anti-papa.

Itaque die 13 Aprilis an. 1055. creatus est

156. *Victor* II. Germanus ex Comitib. Calbensibus. Sedit an. 2. mens. 3. dieb. 16. et obiit die 28. Julii an. 1057. Et post dies 4. scilicet die 2. Augusti an. 1057. creatus est

157. *Stephanus* X. Lotharingus, antea vocatus Fredericus Gozelonis ducis Filius , Abbas Cassinensis. Sedit mens. 7. dieb. 28. et obiit die 29. Martii an. 1058. et post menses 9. dies 4. scilicet die tertia Januarii an. 1059. creatus est

158. *Nicolaus* II. Gerardus Allobrox , Episcopus Florentinus. Sedit an. 2. et mensib. 6. et obiit die 3. Julii an. 1061.

SCHISMA XX.

Fecit *Mincius* ex Comitib. Tuscularis Anti-papa appellatus *Benedictus* X. Sed excommunicatus , et expulsus fuit a *Nicolao* II. In Concilio Sutrii habito.

Itaque post menses duos, et dies 27 a morte Nicolai II. idest die 30 Sept. an. 1061. creatus est

159. *Alexander* II. Mediolanus Canon. Reg. Sedit an. 11. mens. 6. et dieb. 22. et obiit die 22. Aprilis an. 1073. Hic approbavit Congregat. Monach. Camaldul. ord. S. Benedicti

SCHISMA XXI.

Fecit *Cadolaus* Pallavicinus dictus Honorius II. Sed expulsus ab Alexandro II. damnatus fuit in Conc. Mantuano. Statim post mortem Alex. II. idest die 22. Aprilis, an. 1073. creatus est

160. *S. Gregorius* VII. Hildebrandus antea dictus, Tuscus Monachus Cluniacensis. Sedit an. 12. mens. 1. dieb. 2. et obiit die 25. Maji. an. 1085.

SCHISMA XXII.

Fecit Gilbertus de Corrigia Parmensis Archiep. Ravennensis, *Glemens* III. dictus in Conciliabulo Bressiae contra Gregorium VII. Victorem III. Urbanum II. et Paschalem II. annis 21. et aliquot diebus.

Post annum unum a morte Gregorii VII. Scilicet die 24. Maji an. 1086. electus fuit

161. *Victor* III. Beneventanus Abbas Cassinensis. Sedit an. 1. mens. 3. dieb. 23. et obiit an. 1087. die 16. Septembris Post menses 5. et dies 26. creatus est

162. *Urbanus* II. Gallus Monachus Cluniacensis. Sedit an. 11. mens. 4. dieb. 27. et obiit die 29. Julii

an. 1099. Pontifex iste approbavit Congregationem Monach. Vallis Umbrosae Ordinis S. Benedicti. Post 14. dies a morte illius creatus est an. 1099. die 13. Aug.

163. *Paschalis* II. Tuscus Monachus Cluniacensis. Sedit an. 19. mens. 5. dieb. 8. et obiit an. 1019. die 21. Januarii.

SCHISMA XXIII.

Fecit contra Paschalem II. *Aginulphus*, qui fuit electus in locum Clementis III. Anti-papae et vocatus fuit Sylvester III.

Itaque die 21. Januarii an. 1119. creatus fuit

SAECULO XII.

164. *Gaelasius* II. Neapolitanus Benedictinus. Sedit an. 1. dieb. 3. et obiit die 29. Januarii an. 1120.

SCHISMA XXIV.

Fecit contra Gelasium *Mauritius Burtin* dictus Gregorius VIII. electus ab Episcopis *Henrico* V. filio Henrici IV. adhaerentibus.

Post duos dies a morte Gelasii, scilicet die 1. Februarii an. 1120 creatus fuit

165. *Calixtus* II. Burgundus Monachus Cluniacensis. Sedit an. 5. Mens. 9. diebus 17. et obiit die 19. Decemb. an. 1125. Et post 2. dies scilicet die 21. Decemb. an. 1125. creatus est

166. *Honorius* II. Bononiensis. Sedit an. 4. mense

uno, dieb. 25. et obiit an. 113. die 26. Februarii et statim die 27. ejusdem mens. et an. creatus est

167. *Innocentius* II. *Rom.* Sedit an. 13. mens. 7. dieb. 8. et obiit an. 1143. die 24. Septembris.

SCHISMA XXV.

Fecit contra Innocentium Cardinalis *Petrus* Leonis Filius, *Anacletus* II. dictus, qui creatus an. 1130. obiit an. 1138. et in ejus locum creatus est Victor IV. qui duobus postea mensibus cum dimidio, se submittens Innocentio II. finem schismati fecit.

Eodem die, quo obiit Innocentius I. scilicet die 24. Septeb. an. 1143. creatus est

168. *Caelestinus* II. Tuscus. Sedit mens. 5. dieb. 13. et obiit an. 1144. die 9. Martii et eodem die 9. Martii an. 1144. creatus est,

169. *Lucius* II. Bononiensis Canon. Regularis. Sedit mens. 11. dieb. 16. et obiit die 25. Febr. an, 1455. et die 27, Martii an. 1145. creatus est

170. *Eugenius* III. Tuscus Monachus Cisterciensis. Sedit an. 8. mens. 3. dieb. 13. et obiit 1153. die 9, Julii. Et die sequenti 10. Julii an. 1153. creatus est

171. *Anastasius* IV. Rom. Canon. Regul. Sedit anno uno, mens, 4. dieb. 22. et obiit an. 1154. die 2. Decemb. et sequenti die 3. Decembris an. 1154. creatus est

172. *Hadrianus* IV. Anglus. Sedit an. 4. mens. 8. dieb. 28. et obiit die 1. Septemb. an. 1159. et die 4. ejusdem mensis an. 1159: creatus est

173. *Alexander* III. Tuscus Canon. Regul. Sedit an. 21. mens. 11. dieb. 23. et obiit an. 1181. die 27. Augusti.

SCHISMA XXVI.

Fecit contra *Alexandrum* III. *Octavianus* Antipapa dictus Victor IV., cui mortuo successit *Callixtus* III. qui se subjiciens *Alexandro* III. 1178. finem Schismati fecit

Itaque die 29. Augusti an. 1181. creatus est

174. *Lucius* III. *Lucensis*. Sedit an. 4. mens. 2. dieb. 27. et obiit an. 1185. die 25. Novemb. et eodem die 25. Novemb. an. 1185. creatus est

175. *Urbanus* III. *Mediolanensis*. Sedit anno uno, mens. 6. dieb. 23. et obiit an. 1187. die 19. Octob. Hic Pontifex approbavit Ordinem Crucifer. Et die 20. Octob. an. 1187. creatus est

176 *Gregorius* VIII. *Beneventanus Benedict*. Sed mense uno, dieb. 25. et obiit an. 1187. die 15. Decemb. et die 6. Januarii 1188. creatus est

177. *Clemens* III. *Rom*. Sedit an. 3. mens. 2. dieb. 20 et obiit an. 1191. die 25 martii. Et post dies tres scilicet die 29. Martii an. 1191. creatus est

178. *Coelestinus* III. *Rom*. Sedit an. 6. mens. 9. dieb. 11. Et obiit an. 1198. die 8. Januarii. Et in eadem die 8. Januarii an. 1198. creatus est

179. *Innocentius* III. *Canon. Regul.* Sedit an. 18. mens. 6. dieb. 9. et obiit an. 1216. die 26. Julii et die 28. ejusdem Julii, et an. 1216. creatus est

SAECULO XIII.

180. *Honorius* III. *Rom.* Sedit an. 10. mens. 8. et obiit an. 1227. die 18. Martii. Pontifex iste confirmavit Regulam S. Francisci ab Innocentio III. approbatam. Et item approbavit Ordinem S. Dominici sub Regula Div. Augustini, et Regulam Ordinis Carmelitarum. Et 2. die ab ejus morte, scilicet die 20. Martii an. 1127. creatus est

181. *Gregorius* IX. *ex Civitate Anagniae* Sedit an. 14. mens. 5. dieb. 2. et obiit an. 1241. die 22. Augusti. Iste Pontifex canonizavit S. Franciscum de Assisio, S. Antonium Patavinum, S. Dominicum, et S. Elisabeth Hungariae. Sedes vacavit mense uno et 23 Septembris an. 1241. creatus est

182. *Coelestinus* IV. *Mediolanensis.* Sedit dieb. 16. et obiit die 8. octobris. Vacavit Sedes anno uno, mens. 8. dieb. 5. Et die 24 Junii an. 1243. creatus est

183. *Innocentius* IV. *Genuensis.* Sedit an. 11. mens. 5. dieb. 14. Et obiit an. 1254. die 9. Decembris. Et post dies 12. scilicet die 22. Decemb. an. 1254. creatus est

184. *Alexander* IV. ex Civit. Anagniae. Sedit an. 6. mens. 5. dieb. 2. et obiit an. 1261. die 25. Maii. Vacavit Sedes mens. 3. dieb. 3. et die 29. Augusti an. 1261. creatus est

185. *Urbanus* IV. *ex Civit. Trecensi in Campania Ordinis Cisterciensis.* Sedit an. 3. mense uno, dieb. 2. et obiit an. 1264. 8. octob. Vacavit Sedes mens. 2. dieb. 2. et die 5. Februarii an. 1265, creatus est

186. *Clemens* IV. *Gallus*. Sedit an. 3. mens. 9. dieb. 25. et obiit an. 1268. die 29. novemb. Vacavit sedes an. 2. mens. 9. dieb. 2. et die 1. Septemb. an. 1271. creatus est

187. *Gregorius* X. *Placentinus*. Sedit an. 4. mens. 4. dieb. 10. et obiit an. 1276. die 11. Januarii. Vacavit Sedes dieb. 8. et die 20 Januarii an. 1276. creatus est

188. *Innocentius* V. *Burgundus Dominicanus*. Sedit mens. 5. dieb. 2. et obiit die 22. Julii. Vacavit sedes dieb. 19. Et die 12. Julii an. 1276. creatus est

189 *Hadrianus* V. *Genuensis*. Sedit dieb. 39. et obiit die 21. augusti. Vacavit Sedes dieb. 22. et die 13. septemb. an. 1276. creatus est

190. *Joannes* XXI. *Lusitanus*. Sedit mens. 8. dieb. 8. et obiit an. 1277. die 20. Maji. Vacavit Sedes mens. 6. dieb. 5. et die 25. novemb. an. 1277. creatus est

191. *Nicolaus* III. *Rom*. Ursinus. Sedit an. 2. mens. 8. dieb. 29. Et obiit an. 1280. die 22. Augusti et post menses 6. scilicet die 22. Febr. an. 1281. creatus est

192. *Martinus* IV. *Gallus*. Sedit an. 4. mense uno, dieb. 8. et obiit an. 1285. die 28. Martii et post dies 3. scilicet die 2. aprilis an. 1285. creatus est

193. *Honorius* IV. *Rom*. Sedit an. 2. et dieb. 2. et obiit an. 1287. die 3. aprilis. Vacavit sedes mens. 10. dieb. 18. Et die 22. febr. an. 1288. creatus est

194. *Nicolaus* IV. *Asculanus*, *Franciscanus*. Sedit an. 4. mense uno, dieb. 14. et obiit an. 1292. die

4. aprilis. Vacavit sedes an. 2. mens. 3. dieb. 2. et die 7. Julii an. 1292. creatus est

195. *Caelestinus* V. Italus Eremita. Sedit mens. 5. dieb. 5. et abdicavit, et obiit in suo ordine, quem instituit, an. 1296. die 19. Maji. Ipsi in Pontificatu suffectus est Gaetanus. Itaque hic creatus est die 24. Decemb. an. 1294. et vacatus est

196. *Bonifacius* VIII. *ex Civit. Anagniae.* Sedit an. 8. mens. 9. dieb. 18. et obiit an. 1303. die 11. octobris. Vacavit sedes dieb. 9. et die 21. octob. an. 1303. creatus est

SAECULO XIV.

197. *Benedictus* XI. *Dominicanus.* Sedit mens. 8. dieb. 17. Et obiit an. 1304. die 7. Julii. Vacavit sedes anno uno. Et die 7. Julii an. 1305. creatus est

198. *Clemens* V. *Gallus.* Sedit an. 9. mens. 9. dieb. 14. et obiit an. 1314. die 20 Aprilis. Vacavit sedes an. 2. mens. 3. dieb. 16. Hic damnavit Templarios, et fixit sedem Avinione. Et die 6. Aug. an. 1316. creatus est

199. *Joannes* XXII. *Gallus.* Sedit an. 18. mens. 3. dieb. 28. et obiit an. 1334. die 4. Decemb.

SCHISMA XXVII.

Fecit *Petrus de Corborio* Franciscanus, dictus Nicolaus V. qui auctoritate Ludovici Imperatoris invasit sedem Apostolicam an. 1328 et sedit contra Joannem

XXII. an. 3. mens. 3. dieb. 4. sed tandem an. 1330. die 25. aug. cum laqueo ad collum inserto, ad pedes veri Pontificis, veniam deprecando, abdicavit.

Post mortem *Joannis* sedes vacavit dieb. 19. et die 24. Decemb. an. 1334. creatus est

200. *Benedictus* XII. *Gallus*. Sedit an. 7. mens. 4. dieb. 6. et obiit an. 1342. die 25. aprilis. Vacavit sedes dieb. 11. et die 7. Maji an. 1342. creatus est

201. *Clemens* VI. *Gallus Benedict.* Sedit an. 10. mens. 7. et obiit an. 1352. die 6. Decemb. Vacavit sedes dieb. 6. et die 12. Decemb. an. 1352. creatus est

102. *Innocentius* VI. *Gallus*. Sedit an. 9. mens. 8. dieb. 26. et obiit an. 1362. die 5. septemb. Vacavit sedes mense uno dieb. 24. et die 28. octob. an. 1362. creatus est

103. *Urbanus* V. *Gallus Abbas Massiliensis*. Sedit an. 8. mense 1. dieb. 22. et obiit an. 1370. die 19. Decemb. Vacavit sedes dieb. 9. et die 29. Decemb. an. 1370. creatus est

204. *Gregorius* XI. Gallus. Sedit an. 7. mens. 2. dieb 29. et obiit an. 1378. die 27. martii. Vacavit. Sedes dieb. 11. et die 8. Aprilis an. 1378. creatus est

205. *Urbanus* VI. Neapolitanus. Sedit an. 11. mens. 6. dieb. 6. et obiit 1389. die 13. octob.

SCHISMA XXVIII.

Fecerunt Cardinales, qui ab *Urbano* VI. propter nimiam illius crudelitatem deficientes, elegerunt Robertum Comitem Genevae dictum Clementem VII., qui

Avinione sedit contra Urbanum VI. et illius successorem Bonifacium IX., an. 15. mensib. 11. dieb. 28. Qui et obiit Avinione die 16. octobr. an. 1394. et ei successit Petrus de Luna dictus *Benedictus* XIII. Itaque post dies 18. a morte Urbani VI. die 2. novemb. 1389. creatus est

206. *Bonifacius* IX. *Neapolitanus*. Sedit an. 14. mens. 11. et obiit an. 1404. die 1. octob. vacavit sedes dieb. 15. (*N. hic instituit festum Visitationis B. M. V.*) et die 17. octobris an. 1404. creatus est

SAECULO XV.

207. *Innocentius* VII. *Italus Sulmonensis*. Sedit an. 2. dieb. 20. et obiit an. 1406 die 6. Novemb. et post dies 23. scilicet 30 Novemb. an. 1406. creatus est

208. *Gregorius* XII. *Venetus*. Sedit an. 2. mens. 6. dieb. 3. et sponte pro tollendo Schismate, abdicavit in Conc. Pisano an. 1409. die 4. Junii, et post 4 dies, scilicet die 9. Junii an. 1409. in eodem Conc. Pisano creatus est

209. *Alexander* V. *Franciscanus Bononiensis*. Sedit mens. 10. dieb. 8. et obiit an. 1410. die3. Maji. Vacavit sedes dieb. 10. et die 17. Maji. an. 1410. creatus est

210. *Joannes* XXIII. *Neapolitanus* Balthassar Cossa. Sedit an. 5. dieb. 15. et in Concil. Basiliensi sponte abdicavit an. 1415 die 31. Maji. Vacavit sedes an. 2. mens. 5. dieb. 10. et die 11. Novemb. an. 1415. in Concil. Constantiensi creatus est

211. *Martinus* V. *Otho Columna*, *Romanus*. Sedit an. 13. mens. 3. et obiit an. 1431. die 12. Feb. Vacavit sedes dieb. 18. Sed

SCHISMA XXIX.

Fecit contra *Martinum* V. Ægidius Munion dictus Clemens VIII. qui ope Alphonsi Regis Aragoniae sedem invasit an. 1424. et se submisit eidem Martino an. 1418. Itaque die 3. Martii an. 1431. creatus est

212. *Eugenius* IV. *Venetus* Can. Regul. Sedit an. 15. mens. 11. dieb. 21 et obiit an 1447. die 23. Feb.

SCHISMA XXX.

Fecit contra *Eugenium* Amadeus Dux Sabaudie, vulgo dictus *Felix* V. electus in Conc. Basiliensi an. 1439. die 5. Novemb. sed sponte abdicavit in Conc. Lugdunensi. Itaque post dies 8. a morte *Eugenii* IV. scilicet die 4. Martii an 1447. creatus est

213. *Nicolaus* V. *Sarzanensis*. Sedit an. 8. dieb. 19. et obiit an. 1455. die 24. Martii. Vacavit sedes dieb. 14. et 8. Aprilis an. 1455. creatus est

214. *Callixtus* III. *Hispanus*. Sedit an. 3. mens. 8. et obiit an. 1458. die 6. Augusti. Vacavit sedes dieb. 12. et die 19. Augusti an. 1458. creatus est

215. *Pius* II. *Senensis Æneas Silvius*. Sedit an. 5. mens. 11. dieb. 27. et obiit an. 1464. die 16. Augusti. Vacavit sedes dieb. 14. et die 31. Augusti an. 1464. creatus est

216. *Paulus* II. *Venetus*. Sedit an. 6. mens. 10. dieb. 26. et obiit an. 1471. die 28. Julii Pontifex. iste reduxit Jubilaeum ad an. 25. Vacavit sedes dieb. 11. et die 9. Aug. an. 1471. creatus est

217. *Sixtus* IV. *Savonensis Franciscanus*. Sedit an. 13. dieb. 4. et obiit an. 1484. die 12. Augusti. Vacavit sedes dieb. 16. et die 29. Augusti an. 1484. creatus est

218. *Innocentius* VIII. *Genuensis*. Sedit an. 7. mens. 10. dieb. 26. et obiit an. 1492. die 25. Julii. Vacavit sedes dieb. 15. et die 10. Augusti an. 1492. creatus est

219. *Alexander* VI. *Hispanus*. Sedit an. 11. dieb. 8. et obiit an. 1503. die 18. Augusti. Vacavit sedes dieb. 45. et die 22. Septemb. an. 1503. creatus est

SAECULO XVI.

220. *Pius* III. *Genuensis*. Sedit dieb. 26. et obiit an. 1503. die 18. Octob. Vacavit sedes dieb. 13. et die 1. Novemb. an. 1503. creatus est

221. *Julius* II. *Savonensis*. Sedit an. 10. mens. 3. dieb. 21. et obiit an. 1513. die 21. Febr. Vacavit sedes dieb. 21. Approbavit Ord. S. Francisci de Paula. Et die 15. Martii an. 1513. creatus est

222. *Leo* X. *Florentinus* ex Familia Medicea. Sedit an. 8. mens. 8. dieb. 15. et obiit an. 1513. die 1. Decemb. Hic Pontifex damnavit Pragmaticam Sanctionem, et concordatum inivit cum Francisco I. Galliarum Rege, circa provisiones Beneficiorum Ecclesiast.

Vacavit sedes mense uno, dieb. 8. et die 9. Januarii an. 1522. creatus est

223. *Hadrianus* VI. *Belga*. Sedit an. uno, mens. 8. dieb. 14. et obiit. an. 1523. die 24. Septemb. Vacavit sedes mense uno dieb. 25. et die 19. Novemb. an. 1523. creatus est

224. *Clemens* VII. *Florentinus* de Familia Medicea. Sedit an. 10. mens. 10. dieb. 7. Approbavit Congregationem Theatinorum, et Cappuccinorum; et obiit an. 1534. die 26. Sept. Vacavit sedes dieb. 16. et die 13. Octob. an. 1534. creatus est

225. *Paulus* III. *Rom. Alexander Farnensius*. Sedit an. 15. dieb. 28. et obiit anno 1549. die 19. Novemb. Approbavit Religionem Societatis Jesu. Sedes vacavit mens. 2. dieb. 28. et die 8. Febr. an. 1550. creatus est

226. *Julius* III. *de Monte S. Sabini*. Sedit an. 5. mense uno, diebus 16. et obiit an. 1555. die 23. Martii. Vacavit sedes dieb. 16. et die 9. Aprilis anni 1555. creatus est

227. *Marcellus* II. *Italus*. Sedit dieb. 22. et obiit die 30. Maji. Vacavit sedes dieb. 23. et die 28. Maji an. 1555. creatus est

228. *Paulus* IV. *Neapolitanus ex Familia Carafa*. Sedit an. 4. mens. 2. dieb. 27. et obiit an. 1559. die 18. Augusti. Vacavit sedes mens. 4. diebus 7. et die 26. Decemb. an. 1559. creatus est

229. *Pius* IV. *Mediolanensis ex fam. Medicea*, et avunculus S. Caroli, sedit an. 5. mens. 11. dieb. 14. et obiit an. 1565. die 9. Decemb. et post dies 28. scilicet 7. Januarii an, 1566. creatus est

230. *S. Pius* V. *Alexandrinus* ex Familia de Ghysideriis. Sedit an. 6. mens. 3. diebus 24. et obiit an. 1572. die 1. Maji. Vacavit sedes dieb. 11. et die 13. Maji. 1572. creatus est

231. *Gregorius* XIII. *Bononiensis*. Sedit an. 12. mens. 10. dieb. 28. et obiit an. 1585. die 10. Aprilis. Vacavit sedes dieb. 13. et die 24. Aprilis an. 1585. creatus est

232. *Sixtus* V. *De Monte Alto Picenus*, *Franciscanus*. Sedit an. 5. mens. 4. dieb. 3. et obiit an. 1590. die 27. Augusti. Vacavit sedes dieb. 18. et die 5. Septemb. an. 1590. creatus est

223. *Urbanus* VII. *Romanus*. Sedit dieb. 13. et obiit an. 1590. die 28. Septembris. Vacavit sedes mens. 2. dieb. 8. et die 6. Decembris an. 1690. creatus est

234. *Gregorius* XIV. *Mediolanensis*. Sedit mens. 10. dieb. 10. Concessit Birectum Rubrum Cardinalib. absumptis ex ordine Regularium. Et obiit an. 1591. die 15. Octobris. Vacavit sedes dieb. 14. et die 29. Octob. an. 1591. creatus est

235. *Innocentius* IX. *Bononiensis*. Sedit mens. 2. et obiit an. 1591. die 30. Decembris. Vacavit Sedes dieb. 30. et die 30. Januarii an. 1592. creatus est

236. *Clemens* VIII. *Florentinus*. Sedit an. 13. mens. uno dieb. 3. et obiit an. 1605. die 3. Martii. Vacavit sedes dieb. 27. et die 1. Aprilis an. 1605. creatus est

SAECULO XVII.

237. *Leo* XI. *Florentinus*, *Alexander Medicaeus*. Sedit dieb. 27. et obiit die 27. Aprilis. Vacavit sedes dieb. 17. et die 25. Maji an. 1605. creatus est

238. *Paulus* V. *Romanus*. Sedit an. 15. mens. 8. dieb. 13. et obiit an. 1621. die 28. Januarii Canonizavit S. Carolum Borromaeum, beatificavit S. Paschalem Baylon, S. Thomam a Villanova, et S. Franciscum Xaverium. Vacavit sedes dieb. 10. et die 8. Feb. 1621. creatus est

239. *Gregorius* XV. *Bononiensis Alexander de Ludovicis*. Sedit an. 2. mens 5. die uno, et obiit an. 1623. die 8. Julii. Beatificavit S. Petrum de Alcantar. Vacavit sedes dieb. 29. et die 6. Augusti an, 1623. creatus est

240. *Urbanus* VIII. *Florentinus Barbarinus*. Sedit an. 20. mens. 11. dieb. 23. Canonizavit S. Philippum Nerium; S. Ignatium de Loyola; S. Franciscum Xaverium, et beatificavit Jacobum a Marchia Franciscanum; Andream Avellini Theatinum; et Felicem a Cantalicio. Et obiit an. 1644. die 29. Julii. Vacavit sedes mense 1. dieb. 16. et die 15. Septemb. 1644. creatus est

241. *Innocentius* X. *Panphilius*. Sedit an. 11. mens. 3. dieb. 22. et obiit an. 1655. die 7. Januarii. Vacavit sedes mens. 3. et die 7. Aprilis an. 1655. creatus est

242. *Alexander* VII. *Senensis*. Sedit an. 12. mense

1. dieb. 16. et obiit an. 1667. die 22. Maji. Canonizavit. S. Thomam a Villanova; et S. Franciscum Salesium. Vacavit sedes dieb. 29. et die 20. Junii an. 1667. creatus est

143. *Clemens* IX. *Tuscus*. Sedit an. 2. mens. 5. dieb. 20. et obiit an. 1669. die 9. Decemb. Vacavit sedes mens. 4. et die 29. Aprilis an. 1670. creatus est

244.* *Clemens* X. *Romanus*, *Æmilius de Alteriis*. Sedit an. 6. mens. 2. dieb. 24. Canonizavit S. Petrum de Alcantara, et S. Rosam de Lima. Et obiit an. 1676. die 22. Julii. Sedes vacavit mens. 2. Et die 21. Septemb. an. 1676. creatus est

245. *Innocentius* XI. Sedit an. 9. mensib. 10. diebus 22. Ingenti pecunia juvit Christianos Principes contra Turcas, et reportata insigni victoria ante Viennam, pro rei memoria instituit diem festum SS. Nominis Mariae. Obiit an. 1689. die 12. Augusti. Vacavit sedes mense 1. dieb. 25. et die 6. Octobr. an. 1689. creatus est

246. *Alexander* VIII. *Venetus*. Sedit an. 1. mens. 3. et obiit an. 1691. die 1. Februarii. Vacavit sedes mens. 5. dieb. 12. et die 12. Julii an. 1691. creatus est

247. *Jnnocentius* XII. *Neapolitanus*, Antonius Pignatellus. Sedit an. 9. mens. 2. dieb. 18. et obiit an. 1700. die 27. Septemb. Vacavit sedes mense 1. dieb. 26. et die 23. Novemb. 1700. creatus est

SAECULO XVIII.

248. *Clemens* XI. *Urbinas*. Sedit an. 20. mens. 3. dieb. 26. et obiit an. 1721. die 19. Martii. Vacavit sedes mense uno, dieb. 16. et die 8. Maji an. 1721. creatus est

249. *Innocentius* XIII. *Romanus*. Sedit an. 2. mens. 10. et obiit an. 1724 die 8. Martii. Vacavit sedes mens. 2. dieb. 22. et die 29. Maji an. 1724. creatus est

250. *Benedictus* XIII. *Romanus Ursinus*. Sedit an. 5. mens. 8. dieb. 24. Canonizavit Ss. Stanislaum Kostka, et Aloysium Gonsaga, S. Joannem a Cruce Carmelitanum, S. Franciscum Solanum, S. Jacobum a Marchia ordinis Minorum, S. Margaritam a Cortona, et beatificavit Fidelem a Sigmaringa, et Vincentium a Paulo. Et obiit an. 1730. die 23. Feb. Vacavit sedes mens. 8. die . . . et die 12. Julii an. 1730. creatus est.

251. *Clemens* XII. *Florentinus Corsinus*. Sedit an. 9. mens. 6. dieb. 25., et obiit an. 1740. die 6. Feb. et die 17. Augusti an. 1740. creatus est

252. *Benedictus* XIV. *Bononiensis*, *Prosper Lambertinus*. Sedit an. 18. mens. 9. dieb. 17. et obiit die 3. Maji. an. 1758. Et die 6. Julii an. 1758. creatus est

253. *Clemens* XIII. Venetus Carolus Rozzonio qui obiit die 2. Februarii an. 1769. et die 19. Maji. an. 1769. creatus est

254. *Clemens* XIV. *Riminensis*, Laurentius Ganganelli ex Familia Min. Conventualium. Summa de-

steritate in negotiis expendendis fuit praeditus. Obiit die 22. Aprilis an. 1774. et die 15. Februarii an. 1775. creatus est

255. *Pius* VI. *a Caesena*, Joannes Braschius. Multa pro Ecclesia passus, praesertim in Gallia, obiit in odorem Sanctitatis die 29. Augusti an. 1799. Et die 16. Martii an. 1800. creatus est

256. *Pius* VII. *Caesenensis*, Ordinis S. Benedicti. Sedit an. 23. mens. 5. dieb. 5. et obiit an. 1823. die 21. Augusti. Et in eodem an. 1823. creatus est

257. *Leo* XII. Sedit circa an. 6. et obiit an. 1829. Et eodem an. 1829. creatus est

258. *Pius* VIII. Sedit circa an. unum, et obiit an. 1830. Vacavit sedes mens. 2. dieb. 2. Et die 2. Februarii an. 1831. creatus est

259. *Gregorius* XVI. Maurus Cappellanus ex Ordine Camaldulensium, qui modo tanta gloria, et prudentia sedit, et cui pro bono et pace Christi Ecclesiae multos annos a Deo rogamus.

PARS VI.

DE DOCTRINA, ET AUCTORITATE, AC SANCTITATE PATRUM.

377. Unicum esse fontem proprie dictum, ex quo Theologi sua argumenta depromere debent, doctrinam scilicet Revelatam, jam ob initio dictum est (§. 3.) Et quoniam ipsa revelata doctrina sive scripta, sive tradita, indiget legitimo Judice, et infallibili interprete, qui nos doceat quaenam illa sit, et qui sit illius sensus, ideo assignatus fuit alter locus, scilicet Ecclesia, quae sive consideretur congregata in Conciliis generalibus, sive repraesentata a Romano Pontifice, haec omnia infallibili auctoritate praestet. Sed quia ipsa Ecclesia utroque modo considerata utitur doctrina sanctorum patrum in dirimendis fidei controversiis, et in ferendo suas decisivas sententias, propterea opus est, ut postquam disputatum est de scripturis, traditione, Ecclesia, Conciliis, et Romano Pontifice, sermo quoque, etsi brevis, fiat de doctrina sanctorum Patrum. Itaque breviter attingimus 1. Quinam Doctoris, et Patris Ecclesiae nomine appellanti sint 2. quantae auctoritatis facienda sit illorum doctrina. Tandem recensemus principaliores, cum suis operibus.

CAPUT I.

Quinam Doctoris, et Patris Ecclesiae nomine appellandi sint.

PROPOSITIO XXXIV.

Doctores Ecclesiae sunt illi, qui non solum Doctrina, et sanctitate floruerunt, sed etiam tales declarati fuerunt ab Ecclesia.

378. *Prob.* Doctoris munus est docere Christi fideles sanam doctrinam, et ejusdem se prebere exemplum sanctitatis. Sed ad haec requiritur, ut doctrina, et scientia quis resplendeat, et simul virtutibus. Ergo etc. *prob. min.* Matth. cap. V. v. 13. scriptum est de doctoribus. *Vos estis sal terrae* et v. seguenti. *Vos estis lux mundi.* Sed sal, et lux indicant Sapientiam, quia ut dicit Augustinus lib. primo de serm. in monte cap. 6. *Per quos condiendi sunt quodammodo populi ... per quos a vobis error auferatur.* Et similiter Matt. ibidem v. 16. *Luceat lux vestra coram hominibus ut videant opera vestra bona et glorificent patrem vestrum, qui in Coelis est.* Ergo doctrina, et sanctitas requiruntur ad obeunda munera doctoris. Sed diximus quoque opus esse, ut tales declarentur ab Ecclesia, quia cum maximi honoris gradus sit id munus in Ecclesia, ad solam Ecclesiam spectat illud conferre.

379. Dices Theophilus Alexandriae Episcopus fuit

Calumniator, et vindictae cupidus. Etenim adeo infensus fuit S. Chrysostomo; ut illum a sede dejectum fecerit mitti in exilium. Sed a quinto Concilio oecumenico collatione 8. Theophilus iste numeratur inter Sanctos Doctores, et Patres. *Super haec sequimur per omnia et Sanctos Patres, et Doctores Ecclesiae Athanasium, Hilarium . . . Theophilum.* Ergo sanctitas non requiritur etc.

℟. Theophilus non alia da causa fuit infensus S. Chrysostomo, nisi quia errore facti deceptus illum credebat favere Origenistis. Ergo zelo potius, quam vindicta ita operatus est.

CAPUT II.

Num consensus Patrum haberi possit pro regula fidei.

PROPOSITIO XXXV.

Unanimis Patrum consensus pro regula fidei habendus est.

380. *Prob.* Patres, et Doctores a Christo dati sunt in aedificationem Corporis Christi, et ut omnes occurramus in unitatem fidei; etenim Apostolus sic scribit ad Ephesios cap. IV. v. 11. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, et Doctores . . . in aedificationem Corporis Christi, done*

occurramus omnes in unitatem fidei. Ergo Patres et Doctores omnes simul errare non possunt in iis, quae ad fidem pertinent, secus frustrà prorsus data a Christo fuisset haec pars aedificantium Corpus, suam idest Ecclesiam, et custodentium fidei unitatem. Ergo unanimis consensus etc.

381. Sed adde, quod si unanimis Patrum Cosensus non esset tuta fidei regula, certissimum periculum esset, ne tota Ecclesia credens deficeret, quia quisque illam communem doctrinam sequeretur. Sed et tota quoque Ecclesia docens deficeret, quorum utrumque haereticum est.

382. Verum ut pressius rem conficiamus, sic argumentari licet. Divina Traditio, aeque ac Scriptura est vera regula nostrae fidei. Sed ista Traditio eadem est, ac uniformis doctrina Sanctorum Patrum. Ergo etc. *Prob. min.* Non solum Romanus Pontifex ex Cathedra loquens, sed Concilia quoque Oecumenica, cum aliquam haeresim damnare opus est, aut fidei dogma proponere quod vel nullimode, vel non satis clare ex Scripturis constat, communi doctrina utuntur Sanctorum Patrum, ut cognoscant quid dicat Divina Traditio. Ergo communis Doctrina Sanctorum Patrum vel est ipsa Divina Traditio, vel huic adeo conformis, ut qui ab illa recedit, a Traditione quoque recedat opus est. Ergo talis communis sententia Sanctorum Patrum vel per se, vel saltem indirecte, fidei regula habenda est.

CAPUT III.

Recensentur Omnium Saeculorum Patres, quorum doctrina praecipue usa est Ecclesia in damnandis Haeresibus.

Anno 102.

383. Sanctus Clemens Romanus discipulus, et coadiutor Apostolorum, et quartus post Petrum Romanus Pontifex, plura scripsit. Et quidem duas epistolas ad Corinthios, duas ad Jacobum Fratrem Domini, et tres alias ad diversos. Item scripsit decem libros Recognitionum, et octo constitutionum Apostolorum. Tertio Graece conscripsit Canones Apostolorum, et Liturgiam. Sed multi dubitant de genuitate secundae Epistolae ad Corinthios, et de secunda ad Jacobum. Et multo plures dubitant de caeteris operibus. Sed quia tamen ipsa sunt antiquissima, et multum utilia ad fovendam fidem, et mores instituendos, ideo multum a Theologis celebrantur. Juxta Bellarminum, et Patrem Annatum videtur non esse dubitandum de genuitate Liturgiae.

Anno 220.

Clemens Alexandrinus magister Origenis [Floruit sub Severo Imperatore in fine secundi saeculi, et obiit circa annum Christi 220. Multa, et mira scripsit, sed quae supersunt, sunt

1. Oratio exortatoria ad Gentes ut fidem amplectarentur.
2. Tres libri Paedagogi ad eum finem.

vero viri adhaerentes ei, crediderunt: in quibus et Dionysius Areopagita. Haec reliquit scripta

1. Librum de caelesti Hierarchia. 2. Alterum de Hierarchia Ecclesiastica. 3. Tertium de Divinis nominibus. Et ultimum de Theologia Mystica.

Anno 259.

Obiit Dionysius Episcopus Alexandrinus. Multa scripsit opera

1. Commentaria in Ecclesiasten, in primam ad Corinth. in Apocalypsim etc.

2. Dedit quinque Epistolas, scilicet primam ad S. Sixtum R. P., secundam ad Dionysium Papam: tertiam ad Paulum Samosatenum: quartam ad Fabium de Poenitentia, licet alii dicant ad Flavianum: et quintam ad Dionysium Romanum Pontificem.

Anno 165.

Decessit e vita S. Justinus Martyr. ex urbe Neapoli in Palaestina, qui multis annis commoratus Romae ibidem Martyr. occubuit. Multa opera illi tribuuntur: sed quae genuina habentur, sunt

1. Oratio Paranaetica ad Graecos

2. Apologia pro Christianis ad Antoninum Pium

3. Altera Apologia pro ejsdem ad Senatum Romanum

4. Liber de Monarchia Dei, sive oratio ad Graecos

5. Dialogus cum Tryphone Judaeo de veritate Religionis Christianae

6. Aristotelicorum quorumdam falsorum dogmatum eversio,

Annô 202.

Sanctus Iraeneus sub severo, et Antonino Caracalla nobili Martyrio coronatus est. Hujus opera sunt

1. Libri quinque adversus haereses.
2. Liber unus de disciplina contra Gentes.
3. Liber unus de praedicatione Apostolica ad Marcianum.
4. Variorum Tractatuum Liber unus.
5. Liber de Ogdoade, sive de numero octonario.
6. Epistola ad Blaustum de Schismate.
7. Epistola ad Florinum de Monarchia.
8. Epistola ad Victorem 1. Rom. Pontificem de celebratione Paschatis.

Omittimus Tertullianum, et Origenem, quia Ecclesiae Patres dici non possunt ex eo quod in fide non perstiterunt. Doctissimi quidem fuerunt, et sicut mira pro Chiristi Ecclesia scripserunt, multa quoque contra illam ediderunt.

S. Cyprianus Carthaginensis, et primas totius Africae Coronatus est Martyrio sub Aspasio Paterno proconsule. Plura scripsit, quae tribus tomis continentur.

In primo tomo sunt quatuor libri Epistolanum ad num. 85. quarum praecipuae sunt

1. Ad Cornelium Papam de primatu summi Pontificis super universam Ecclesiam, in qua leguntur verba, quae supra (§. 353) attulimus.
2. Item ad Cornelium de invocatione sanctorum
3. Quae est 34. In ipsa praesertim commendatur fidei constantia Celerini Martyris.

4. Quae est num. 66. defenditur memoria Defunctorum, quos suffragiis sublevare possumus a purgatorii poenis.

5. Quae est num. 12. In hac speciali modo defenditur dogma Purgatorii.

6. Quae est sub num. 85. data ad Antonianum. In ista propugnatur dogma Confessionis Sacramentalis et auricularis.

7. Epistola ad Caecilium quae est sub num. 63., in qua defenditur realitas Christi Corporis in Sacramento Eucharistiae.

8. Epistola sub num. 59. data ad Fidum Episcopum, in qua defenditur baptismus Parvulorum.

9. Epistolae decima, undecima, et duodecima agunt de quaestionibus antiquae disciplinae circa lapsos.

In secundo Tomo sunt multi tractatus. Et quidem

1. Liber de disciplina, et habitu Virginum.

2. Liber de Lapsis. In hoc rigorose agit contra peccatum scandali.

3. Liber aureus de unitate Ecclesiae.

4. Liber de Oratione Dominica.

5. Liber ad Demetrianum Africae proconsulem. In hoc habetur mira apologia in favorem Christianorum contra calumnias Ethnicorum.

6. Tractatus de vanis Idolis.

7. Liber de mortalitate, ex occasione pestis quasi universalis.

8. Liber de eleemosynarum meritis.

9. Liber de bono poenitentiae.

10. Liber de Zelo, et livore.

11. Liber de exortatione ad Martyrium ad Fortunatum.

12. Tres libri testimoniorum ad Quirinum.

De tertio Tomo nihil dicimus, quia opera, quae in illo continentur partim habentur ut suppositia, et partim ut dubia.

Anno 265.

Gregorius Taumaturgus sic dictus ob mira, et innumera patrata miracula. Episcopus Neocaesariensis. Multa opera, sed non omnia certa, sub ejus nomine circumferuntur. Certa solum afferimus, quae sunt.

1. Expositio fidei de Sanctissima Trinitate quam quintum Concilium Generale habet ut revelatam.

2. Oratio panegyrica ad Origenem suum magistrum.

3. Mataphrasis, hoc est translatio in Ecclesiasten.

4. Tres sermones de Annunciatione B. Virginis.

5. Sermo de Apparitione Domini.

6. Epistola Canonica, qua adhortatur fideles ad poenitentiam.

Anno 390.

Gregorius Theologus, et Episcopus Nazianzenus, et deinde Constantinopolitanus, et magister S. Hieronymi. Haec sunt opera; quae scripta reliquit.

1. Quatuor orationes Apologeticae sui ipsius.

2. Octo orationes funebres.

3. Quinque orationes de Theologia, praesertim contra Arianos pro divinitate Verbi.

4. Tres orationes de pace.

5. Oratio ob flagellum grandinum.

6. Oratio adversus mulieres nimis se ornantes.

7. Oratio de moderatione servanda in disputationibus.

8. Oratio in festum Baptismi Christi.

9. Oratio contra Arianos.

10. Oratio coram 150. Episcopis pro suo recessu a sede Constantinopolitana.

11. Octoginta variae Epistolae.

Insuper alia poetica opera, quae missa facimus.

Anno 393.

Sanctus Gregorius Nyssenus sic dictus a sede Nyssena mirum quantum insudavit pro fide Nicaena contra Arianos, qua de causa septem annis exulavit jussu Imperatoris Valentis. Ejus opera sunt sequentia

1. Explicatio in exameron.

2. Liber de opificio hominis.

3. De Vita Moysis.

4. Duo commentaria, in Ecclesiasten, et Cantica Canticorum.

5. Epistola ad Harmonium de nomine Christiano. Et altera ad Olympium Monachum de eodem objecto.

6. Liber de oratione dominica.

7. Liber de octo beatitudinibus.

8. De subjectione filii oratio.

9. Oratio de mortuis.

10. Oratio de infantibus immature raptis.

11. Disputàtio cum sua sorore Macrina de anima, et resurrectione.

12. Liber de vera Virginitate.

13. Duae orationes de Batismate.

14. Quinque libri de SS. Mysterio Trinitatis.

15. Varii Sermones de diebus festis.

16. Oratio contra usuram exercentes.
17. Orationes de fornicatione fugienda.
18. Septem orationes funebres.

Anno 596.

Gregorius Turonicus sic dictus a suo Episcopatu haec scripsit opera.

1. Decem libros de Historia Francorum.
2. Duos lib. de gloria Martyrum.
3. Quatuor lib. de Miraculis S. Martini.
4. Lib. unum de gloria Confessorum.
5. Lib. unum de vitis Patrum.

Anno 604.

Gregorius Magnus, qui anno 590 electus fuerat summus Pontifex, dictus Magnus propter miram eruditionem, tanta fecit, et scripsit pro Ecclesia Christi, ut Doctor maximus appellatus fuerit. Sua opera sunt

1. Triginta libri Expositionis moralis in Job.
2. Liber de cura pastorali.
3. Dialogus cum Petro in quatuor libros distributus.
4. Liber Expositionis in Cant. Canticorum.
5. Homiliae 22. super Ezechielem Prophetam.
6. Quadraginta Homiliae in Evangelia.
7. Sex libri expositionis libri primi Regum.
8. Explanatio 7. Psalmorum poenitentialium.
9. Duodecim libri Epistolarum
10. Undecim responsiones ad quaesita Augustini Episcopi Cantuariensis Anglorum.

Anno 340.

Eusebius Cesariensis, quia suspectus haeresis Arianorum inter Ecclesiae Patres numerandus non est; sed

tamen ejus opera recensemus, ut quae Ecclesiam spectant. Et quidem sunt

1. Quindecim libri de praeparatione Evangelica.
2. Lib. viginti de Demonstratione Evangelica.
3. Libri decem de Historia Ecclesiastica.
4. Libri quatuor de vita Constantini Magni.
5. Liber unus contra Hieroclem
6. Libri quinque contra Marcellum Ancyranum.
7. Liber unus de dissensione Philosophorum.
8. Chronicon liber unus.
9. Libri triginta in Isaiam
10. Libri triginta contra Porphirium.
11. Libri sex apologetici pro Origene.
12. Libri tres de vita Pamphili Martyris.
13. Varia opuscula pro Martyribus.
14. Commentaria in Psalmos.

Anno 371.

Sanctus Athanasius eximius Ecclesiae doctor, et acerrimus propugnator Fidei Nicaenae contra Arianos, et Episcopus Alexandrinus, multa scripsit opera, sed illa tantum afferimus, quae illi certo tribuuntur, quae sunt.

1. Oratio contra Gentes, et vanitatem Idolorum.
2. Oratio de divini Verbi Incarnatione.
3. Quatuor orationes Contra Arianos.
4. Oratio in illa verba Domini. *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo.*
5. Oratio De aeterna Substantia Filii, et Spiritus Sancti cum Deo.
6. Oratio de unitate Christi.
7. Epistola ad Serapionem pro defensione Divinitatis Verbi.

8. Epistola ad eumdem Serapionem contra Arianos.

9. Epistola ad Jovinianum, in qua respondet variis quaesitis Imperatoris.

10. Epistola contra Eusebium de decretis Concilii Nicaeni.

11. Epistola de sententia Dionysii Alex. contra Arianos.

12. Epistola ad Antiochenses, quae tamen conscripta creditur simul cum aliis Episcopis Italiae, Arabiae Ægypti, et Lybiae.

13. Epistola ad Epictetum Episcopum Corinthi, contra illius commentaria, in quibus dicebat assumptum Christi corpus consubstantiale cum Verbi Divinitate, et etiam contra Arianos.

14. Epistola ad Adelphium contra haeresim Arianorum.

15. Epistola ad Solitarios.

16. Epistola de Synodis Arimini, et Seleuciae.

17. Epistola ad Africanos Praesules pro defensione Concilii Nicaeni.

18. Epistola ad omnes Orthodoxos, saeviente in illos persecutione.

19. Epistola ad Dracontium, qui Episcopatum fugiebat.

20. Apologia, qua apud Constantium se purgat de confictis criminibus.

21. Apologia de sibi imposito defectu timiditatis propter suam fugam.

22. Altera Apologia sui ipsius contra Arianos.

23. Symbolum fidei, quod sub ipsius nomine Eccsia in Officio Divino recitat.

Anno 369.

Sanctus Hilarius Pictaviensis Episcopus in senecta, ex Gentili factus Christianus magna Sanctitate, et eruditione splenduit. Opera, quae brevi elucubravit, sunt.

1. Duodecim libri contra Arianos de Trinitate.

2. Liber de Synodis ad Episcopos Galliarum, qui amabant scire fidem Orientalium.

3. Epistola ad suam filiam Abram, dolentem absentia Patris.

4. Duo libri ad Constantium. In primo illum deterret a persecutione Catholicorum, pro nimio favore erga Arianos. In altero expostulat Regis praesentiam in disputatione fidei coram Synodo, et Saturnino sui exilii auctore.

5. Liber adversus Constantium, in quo ostendit Verbi Consubstantialitatem, et supplicia a Deo parata contra Arianos.

6. Liber contra Auxentium.

Anno 441.

Hilarius Arelatensis Gallus, ex Monacho factus fuit Arelatensis Episcopus. Sua opera sequenti ordine numerantur.

1. Vita S. Honorati Laerinensis insulae primi cultoris.

2. Homiliae pro omnibus diebus Festis.

3. Expositio Symboli.

4. Variae epistolae ad Germanum contra Haereses.

5. Historia Geneseos eroico carmine scripta usque ad septimum Caput.

6. Juxta nonnullos Epistola de praedestinatione San-

ctorum ad S. Augustinum contra Pelagianos, et semipelagianos.

Anno 378.

Sanctus Basilius Magnus Graecus miro modo Poenitentiae et jejuniis studuit. Ejus opera sunt.

1. Variae homiliae.

2. Quinque libri adversus Eunomium.

3. Liber unus contra Sabellianos, Arianos, et Anomaeos.

4. Oratio contra calumniam eorum, qui dicebant Christianos adorare tres Deos in Trinitate Personarum.

5. Duo libri de Baptismo.

6. Liber de vera Virginitate.

7. Liber de Sancto Spiritu ad S. Amphium Episcopum Jconii.

8. Opera Ascetica.

9. Opera Moralia, seu liber Moralium octo continens regulas.

10. Canonicae ad Amphilochium Epistolae tres.

11. Aliae 212 Epistolae ad varios.

12. Lyturgia.

Anno 380.

Optatus Milevitanus sic dictus ab Episcopam Milevi fuit acerrimus Fidei propugnator praesertim adversus Donatistas, contra quos scripsit sex, et secundum alios septem libros.

Anno 378.

Sanctus Ephrem ex Syria floruit sanctitate, et eruditione. Ex Eremita ordinatus Presbyter a Sancto Basilio opera, quae elucubravit, sunt.

1. Tractatus super illa Apostoli verba 1. ad Corint. cap. VII. *Melius est nubere, quam uri.*

2. Tractatus de natura Dei, in quo mirifice astruit realem praesentiam Corporis Christi in Eucharistia.

3. Sui ipsius testamentum, in quo potissima argumenta praebet contra Haereticos Arianos, et Scirinianos.

Anno 380.

Sanctus Pacianus Hispanus Episcopus Barcinonensis haec sunt, quae reliquit scripta.

1. Tres Epistolae ad Simphorianum adversus Novatianos.

2. Paraenesis, sive Exhortatio ad poenitentiam.

3. Epistola una de Baptismo.

Anno 394.

Sanctus Amphilochius. Acerrimus iste Fidei defensor haec sunt quae reliquit scripta.

1. Variae homiliae.

2. Unus liber de Spiritu Sancto contra Macedonianos.

3. Vita Sancti Basilii.

Anno 394.

Sanctus Phoebadius ex Gallia, et Episcopus Aginnensis in Vascovia strenue contra Arianos defendit fidem Nicaenam in Concilio Ariminensi. Unum librum reliquit scriptum de Trinitate personarum in uno Deo contra Fidei formulam dolose confictam ab Arianis in Concilio Sirmiensi.

Anno 388.

Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus sic dictus quia Hierosolymae Patriarcha aeternum bellum gessit contra Arianos. Haec sunt ipsius Scripta.

1. Catecheses 18 ad Catechumenos pro recte suscipiendo Baptismate.

2. Catecheses quinque ad recens baptizatos.

3. Epistola ad Constantium Imperatorem de mira apparitione Crucis Domini Hierosolymis.

Anno 444.

Sanctus Cyrillus Alexandrinus sic dictus ex Patriarchatu Alexandriae. Incredibile prorsus videtur quantum iste et voce, et scriptis operatus fuerit pro fide Orthodoxa. Ipse primum in Concilio Alexandrino, deinde in Concilio Oecumenico Ephesino, in quo praesidebat nomine Caelestini primi penitus prostravit Nestorianos. Ipse fugavit e sua sede patriarchali Novatianos, et expulit Judaeos. Et ipse omnes occurrentes haereses debellavit. Ejus opera sunt.

1. Multa opera in Sacram Scripturam. Undecim libri in Genesim. Sexdecim in Leviticum. Quinque in Isaiam, quinque in Evangelium Sancti Joannis. Liber unus adversus Judaeos. Et multa alia.

2. Epistolae diversae num. 39. in quarum multis comminatur exauctorare Nestorium, nisi resipiscat.

3. Homiliae decem.

4. Apologia sui ipsius ad Theodosium.

5. Declaratio duodecim Anathematismorum contra Nestorium.

6. Liber Apologeticus pro istis duodecim capitulis, demonstrans, quod illa prorsus aliena sunt ab haeresi Apollinaris.

7. Altera Apologia pro eisdem duodecim Anathematismis ad Evoptium Episcopum.

8. Expositio Symboli Nicaeni.

9. Synodales Epistolae duodecim.

10. Thesaurus in quatuordecim libros distributus contra Arianos, et Nestorianos pro Consubstantialitate Verbi, et Christi divinitate.

11. Septem libri Dialogorum cum Hermia.

12. Libri 17 ad Palladium de adoratione in Spiritu, et veritate.

13. Decem libri contra Apostatam Julianum.

14. Duo libri ad Theodosium, et Reginas de recta fide in Christum.

15. Liber unus contra Anthropomorphitas.

Anno 403.

Sanctus Epiphanius Episcopus Salaminae Cypri. Iste fuit insignis pro dono Linquarum Haec sunt ipsius opera.

1. Panuurium, sive tres libri contra octoginta haereses.

2. Anchoratus, sive liber, qui veluti anchora firmat debiles in fide.

3. Ancephaleosis.

4. Libellus de mensuris, ponderibus etc.

5. Historia Prophetarum.

6. Epistola Apologetica sui ipsius ad Joannem Episcopum Hierosolymitanum.

7. Libellus contra Marcionem.

Anno 397.

Sanctus Ambrosius Episcopus Mediolanensis multa elucubravit opera contra Arianos. Ipsa continentur in tribus tomis. Opera primi tomi sunt.

1. Hexameron, scilicet sex libri de operibus Dei.

2. Liber unus de Paradiso.

3. Libri duo de Cain, et Abel.
4. Liber unus de Noe, et Arcá.
5. Libri duo de Abraham Patriarcha.
6. Liber unus de Isaac, et anima.
7. Liber unus de bono mortis.
8. Liber unus de fuga saeculi.
9. Libri duo de Jacob, et vita beata.
10. Liber unus de Joseph Patriarcha.
11. Liber unus de benedictionibus Patriarcharum.
12. Liber unus de Elia, et jejunio.
13. Liber unus de Nabuthe Israelita.
14. Liber unus de Tobia.
15. Libri quatuor de interpellatione Job, et David.
16. Apologia David.
17. Duodecim enarrationes in Psalmos.
18. Expositio Psalmi 118.
19. Expositio Evangelii secundum Lucam.

Opera secundi tomi.

1. Tres libri de officiis Ministrorum.
2. Tres libri de Virginibus ad Marcellinam Sororem.
3. Liber unus de Viduis.
4. Liber unus de Virginitate.
5. Liber unus ad Eusebium de institutione Virginis.
6. Liber unus Exortatio ad Virginitatem.
7. De lapsu Virginis Consecratae.
8. Liber unus de Mysteriis.
9. Libri sex de Sacramentis.
10. Libri duo de Poenitentia.
11. Libri quinque de fide ad Imperatorem Gratianum.
12. Libri tres de Spiritu Sancto.

13. Liber unus de Mysterio Incarnationis.
14. Fragmentum Ambrosianum.
15. Epistolae 91.
16. Libri duo de morte Satyri sui fratris.
17. Consolatio de morte Imperatoris Valentiniani.
18. Oratio funebris de obitu Theodosii.

Omittuntur libri tertii tomi, quia simul assuti habentur ut unus.

Anno 407.

Sanctus Joannes Chrysostomus Episcopus Costantinopolitanus. Opera hujus tanti doctoris sunt.

1. Variae homiliae.
2. Sex libri de Sacerdotio.
3. Libri duo de compunctione cordis.
4. Libri tres de Providentia Dei.
5. Libri duo de Oratione.
6. Liber unus de comparatione Regis, et Monarchae.
7. Libris tres contra impugnatores vitae Monasticae.
8. Liber unus contra Gentiles.
9. Sermones varii.
10. Multae Epistolae, inter quas duae ad Innocentium primum, una ad Cyprianum Episcopum exulem etc.
11. Liturgia.

Anno 410.

Sanctus Hieronymus. Innumera sunt quae gessit, et scripsit eruditissimus hic Sanctus Doctor. Peritissimus ipse in lingua Hebraica, Graeca, et Latina, vetus Testamentum ex Hebraeo, et novum ex Graeco in latinum vertit. Adeo in Sanctitate, in eruditione, et in Scientiis, praesertim divinis, excelluit, ut Magister

totius Christiani orbis appellatus fuerit, et Augustinus ipse saepe consulerit in quaestionibus difficilioribus. Ad triplex genus reduci possunt ipsius opera, scilicet laudatorium, Polemicum, et exegeticum.

Opera laudatoria.

1. Epistola exhortatoria ad Heliodorum.
2. Epistola ad Nepotianum de vita Clericorum.
3. Epistola ad Rusticum Monachum de vivendi forma.
4. Epistola ad Laetam de institutione filiae Paulae.
5. Epistola ad Demetriadem Virginem.
6. Epistola ad Salvinam Viduam.
7. Epistola ad Furiam viduam.
8. Epistola ad Ageruchiam viduam.
9. Epistola ad Gaudentium.
10. Epistola ad Celantiam nobilem Matronam.
11. Epistola ad Marcellam.
12. Epistola ad Principiam cum Epitaphio viduae Marcellae.
13. Altera Epistola ad eamdem.
14. Epistola ad Eustochium.
15. Epistola ad Marcellam.
16. Epistola ad Eustochium Virginem.
17. Altera Epistola ad Marcellam de aegrotatione Blasillae.
18. Iterum Epistola ad eamdem Marcellam de laudibus Leae.
19. Epistola ad Paulam de morte Blasillae ejus primogenitae.
20. Epistola ad Pammachium.
21. Ad Eustochium Virginem Epitaphium Paulae matris.

22. Ad Oceanum Epitaphium Fabiolae.

23. Epistola ad Innocentium, in qua enarrat, quamdam mulierem falso adulterio damnatam septies percussam a tortore non fuisse interfectam.

24. Vita S. Pauli Eremitae.

25. Vita Sancti Hilarionis.

26. Vita Malchi Monachi.

28. Liber de Viris illustribus.

Opera Polemica.

1. Liber unus contra Helvidium.

2. Libri duo contra Jovinianum.

3. Apologia pro his duobus libris ad Pammachium.

4. Epistola quinquagesima prima apologetica pro eisdem libris ad Domnionem.

5. Ad Pammachium Epist. 52.

6. Epistola quinquagesima tertia ad Riparium contra Vigilantium.

7. Liber unus contra eumdem Vigilantium.

8. Epistola, quae est quinquagesima quarta, ad Marcellam.

9. Orthodoxi, et Luciferiani Dialogus.

10. Epistola sub num. 59 ad Avitum.

11. Epistola sub num. 61 ad Pammachium.

13. Rufinus in Praefatione ad Libros Periarchon.

14 Epistola sub num. 66 ad Rufinum.

15. Epistola sub num. 67 ad Pammaicum, et Marcellinum contra Rufinum.

16. Epistola sub num. 68 ad Ctesiphontem contra Pelagium.

17. Tres libri Dialogorum contra Pelagianos.

Opera Exegetica, sive Expositoria Sacrarum Scripturarum.

1. Epistola ad Paulinum Praesbyterum.

2. Praefatio ad Desiderium in Pentateuchum.

3. Praefatio in Librum Paralipomenon ad Cromatium.

4. Epistolae duae ad Cromatium, et Heliodorum Episcopos.

5. Epistolae tres ad Paulum, et Eustochium. Prima ordine 116, altera 117, tertia 121.

6. Epistola ad Damasum Papam ordine 123.

7. Altera Epistola ad Eumdem Damasum ordine 125.

8. Epistola ad Evagrium ordine 126.

9. Epistola ad Fabiolam num. 127.

10. Altera ad eamdem num. 128.

11. Ad Dardanum num. 129.

12. Ad Marcellam num. 130.

13. Epistola ad Rufinum num. 131.

14. Epistola ad Vitalem num. 132.

15. Epistola ad Sophronium num. 134.

16. Epistola num. 135 ad Suniam, et Fretelam.

17. Aliae epistolae tres ad Marcellam.

18. Epistola num. 139 ad Cyprianum.

19. Epistola num. 140 ad Principiam Virginem.

20. Iterum epistolae tres ad Damasum, quae sunt sub num. 142 143, et 146.

21. Epistola num. 147 ad Amandum Presbyterum.

22. Epistola num. 150 ad Hebidiam.

23. Epistola num. 151 ad Algasiam.

Anno 430.

Aurelius Augustinus dictus Doctorum Aquila propter universalitatem et profunditatem suae Scientiae. Maximus hic doctor ex haeresi Manichaeorum conversus fuit opera Sancti Ambrosii. Deinde ordinatus Presbyter a Valerio Episcopo Hypponensi, eidem in Episcopatu successit. Nonnulla elucubravit opera dum non adhuc erat Christianus; multa cum erat Presbyter, et pene infinita cum erat Episcopus.

Opera Augustini Catechumini.

1. Contra Academicos libri tres.
2. Liber unus de beata vita.
3. Libri duo de ordine.
4. Soliloquiorum libri duo.
5. De immortalitate Animae liber.
6. Varii disciplinarum libri.

Opera Augustini jam Baptizati.

1. Libri duo de Moribus Ecclesiae Catholicae, et de moribus Manichaeorum.
2. Liber de quantitate Animae.
3. Libri tres de libero arbitrio contra Manichaeos.
4. Libri duo de Genesi contra eosdem Manichaeos.
5. Liber de Magistro, scilicet uno Christo.
6. Liber de vera Religione.

Opera Augustini Presbyteri.

1. Liber unus ad Honoratum de utilitate credendi.

2. Liber unus contra Manichaeos, qui duas in homine admittebant animas alteram causam bonarum actionum, malarum alteram.

3. Liber unus contra Fortunatum Manichaeum.

4. Liber de fide, et Symbolo.

5. De Genesi ad litteram liber incompletus.

6. Libri duo de Sermone Domini in monte.

7. Psalmus contra partem Donati.

8. Liber contra Epistolam Donati, qui tamen non reperitur.

9. Liber contra Adimantum Manichaeum.

10. Liber expositionis quarumdam propositionum ex Epistola ad Romanos.

11. Liber expositionis Epistolae ad Galatas.

12. Inchoata expositio Epistolae ad Romanos.

13. Liber de octoginta tribus quaestionibus.

14. Liber de mendacio.

Opera S. Augustini Episcopi.

1. Libri duo ad Simplicium de variis quaestionibus.

2. Liber contra epistolam nuncupatam *Fundamenti.*

3. Liber de agone Christiano.

4. Quatuor libri de Doctrina Christiana.

5. Libri Confessionum tredecim.

6. Magnum opus contra Faustum Manichaeum.

7. Libri duo contra Felicem Manichaeum.

8. Liber de Natura boni contra Manichaeos.

9. Liber contra Secundinum Manichaeum.

10. Liber de Catechizandis rudibus.

11. Quindecim libri de SS. Trinitate.

12. Libri tres contra Epistolam Parmeniani Episcopi Donatistae.

13. Libri septem de Baptismo contra Donatistas.

14. Liber de opere Monachorum.

15. Liber de bono conjugali adversus Jovinianum.

16. Liber de Sancta Virginitate.

17. Libri duodecim de Genesi ad litteram.

18. Libri tres contra litteras Petiliani.

19. Libri quatuor contra Cresconium Donatistam.

20. Libellus de divinatione daemonum.

21. Liber de unico Baptismate contra Petilianum.

22. Libri tres de peccatorum meritis, et remissione.

23. Liber de Spiritu, et littera.

24. Liber de fide, et erroribus.

25. Liber de natura, et gratia.

26. Liber de gestis Pelagii.

27. Libri duo contra Pelagium et Coelestium de gratia Christi, et peccato originali.

28. Libri duo de Nuptiis, et concupiscentia.

29. Libri duo de adulterinis conjugiis.

30. Libri quatuor contra duas Epistolas Pelagii.

31. Libri sex contra Julianum.

32. Libri duo de praedestinatione Sanctorum, et dono perseverantiae.

33. Libri quatuor de anima, et ejus Origine.

34. Libri duo ad Hieronymum in Bethlehem de origine animae etc.

35. Libri duo contra Adversarium Legis, et Prophetarum.

36. Liber de videndo Deo.

37. Libri quatuor de consensu Evangelistarum.

38. Libri viginti duo de Civitate Dei.

39. Liber de sex quaestionibus contra Paganos.

40. Libri Septem Locutionum Scripturae Sacrae.

41. Liber ad Orosium contra Priscillianistas.

42. Liber contra mendacium.

43. Liber de gestis cum Emerito Episcopo Donatistarum.

44. Liber Enchiridion ad Laurentium.

45. *Breviculus* collationum cum Donatistis libri tres.

46. Liber de cura pro mortuis.

47. Liber de Gratia, et libero arbitrio.

48. Liber de correptione, et gratia.

49. Libellus de haeresibus ad Quodvultdeum.

50. Plurimae Epistolae.

51. Libri duo *Retractationum.*

Severus Sulpicius discipulus Sancti Martini, et Coaevus Rufino. haec scripsit opera, scilicet

1. Duos libros de Historia Sacra.
2. Librum de vita Sancti Martini.
3. Tres Dialogos.
4. Multas Epistolas.

Anno 431.

Sanctus Paulinus natione Gallus, et Nolae Episcopus multa scripsit opera, quae sunt

1. Epistolae quatuordecim ad Severum Sulpicium.

2. Epistolae quinque ad Delphinum Episcopum.

3. Epistolae sex ad Amandum Burdegalensem successorem Delphini.

4. Epistolae tres ad Victricium Episcopum.

5. Epistolae tres ad Aprum Tullensem.

6. Epistola una ad Florentium Episcopum Cadurcensem.

7. Epistola una ad Alethium item Episcopum Cadurcensem.

8. Epistola una ad Desiderium Lingonensem Episcopum.

9. Epistola una ad Macarium solitarium.

10. Epistola una ad Pammachium virum consularem.

11. Epistola una ad Jovium, qui philosophice, et non Christiane loquebatur de Providentia.

12. Epistola una ad quemdam Militem.

13. Epistola una ad Sebastianum Eremitam.

14. Epistolae quatuor ad S. Augustinum.

15. Epistola una ad Alipium.

16. Epistola una ad Romanianum.

17. Epistola una ad Licentium Romaniani filium.

18. Epistola una ad Rufinum.

19. Epistola una ad Marcellam.

20. Epistola una ad Celantiam nobilem Matronam.

21. Epistola una ad Eucherium, et Gallam.

Anno 440.

Sanctus Nilus Abbas. Ejus ópera in Bibliot. Pp. sunt.

1. Paraenetica, scilicet variae exortationes ad operandum bonum.

2. Liber de Oratione.

3. Liber Asceticus, seu Christiana Philosophia.

4. Liber de Monachorum institutione.
5. Tractatus de Monachorum praestantia.
6. *Peristeria*, seu tractatus de virtutibus colendis etc.
7. Tractatus de Paupertate voluntaria.
8. Tractatus de vitiis fugiendis ad Eulogium Monachum.
9. Historia de incursione Saracenorum, et de Martyrio multorum in Monte Sinai.

Anno 450.

Petrus Chrysologus sic dictus ob flumen suae Eloquentiae Ravennatis Episcopus e vita decessit. Opera, quae scripta reliquit, sunt 176 Homiliae in Evangelia de Dominicis, et festis, et Epistola ad Eutychetem, qua illum exhortatur ad obediendum fidei.

Anno 460.

Theodoretus Antiochenus et Episcopus Cyri e vivis sublatus est, vel ut placet aliis anno 470. Infinitos labores pro fide orthodoxa perpessus tandem exauctoratus fuit in Concilio, sive latrocinio Ephesino per Dioscorum. Ejus opera sunt.
1. Varii libri de Sacra Scriptura.
2. Commendaria in omnes Apostoli Pauli Epistolas.
3. Libri quinque Historiae Ecclesiasticae.
4. *Eranistes*, seu *Polymorphus*, scilicet tres. Dialogi inter Eranistem Eutychianum, et Orthodoxum.
5. Libri quatuor Haereticarum fabularum.
6. Historia Sanctorum Patrum, et Monachorum.
7. Libri duodecim de Curandis Graecorum affectionibus.
8. Decem Sermones de Providentia.
9. Epistolae num. 147.

10. Decem Capitolae in gratiam Nestorii, quae totidem opponuntur capitibus B. Cyrilli, in quibus iste mirifice astruit fidem Dominicae Incarnationis. Damnata quidem fuerunt Capitola Theodoreti; sed non ideo ipse excludendus e numero Patrum; primo quia non damnata fuit ejus persona: secundo quia detecto suo errore subscripsit damnationi Nestorii: tandem, quia dejecit decem sua Anathematisma et amplexus est illa Cyrilli.

Anno 461.

Sanctus Leo Magnus. Quis fuerit Magnus iste Doctor brevi innuit Trithemius de Scriptoribus Eccl. *Fuit dictionis Ecclesiasticae Tullius, Sacrae Theologiae Homerus, rationum fidei Aristoteles, auctoritatis Apostolicae Petrus, et in Christiano pulpito Paulus.* Ejus opera, quae e manuscriptis nobis tradiderunt Canonici regulares S. Martini Lovaniensis sunt

1. Varii Sermones.
2. Epistolae decretales multae.
3. Tractatus contra errores Eutychetis etc.

Anno 461.

Sanctus Prosper. Haec sunt opera hujus acerrimi defensoris Orthodoxae fidei adversus Pelagianos, et Semipelagianos.

1. Opus de praedectionibus, et promissionibus Dei.
2. Libri tres de vita contemplativa.
3. Epistola ad Rufinum de gratia, et libero arbitrio.
4. Responsiones ad Capitola Gallorum.
5. Liber contra Collatorem De gratia Dei.
6. Ex sententia D. Augustini Epigrammatum liber.
7. Poemà de providentia; licet nonnulli de hoc dubitant.

9. Expositio in Psalmum centesimum.
10. Epistola ad Sanctum Augustinum.
11. Libri duo de vocatione Gentium.
12. Epistola ad Demetriadem Virginem.
13. *Chronicon*, seu continuatio Chronici Eusebii, et Hieronymi.

Anno 544.

S. Caesarius Arelatensis Episcopus. Multa hic scripsit, quae sequenti ordine numerantur.
1. Homiliae num. 46 1.
2. Exortatio ad charitatem observandam.
3. Epistola ad quosdam Germanos.
4. Homilia de decem Virginibus.
5. Regula pro Monialibus.
6. Altera pro Monachis, licet nonnulli tribuant illius nepoti.
7. Aliae quatuordecim homiliae.
8. Epistola insignis ad Caesariam Abatissam.
9. Epistola datam ad Caesariam et totam Congregationem.
10. Epistola hortatoria ad Virginem Deo Dicatam.

Anno 454.

Eucherius Episcopus Lugdunensis. Haec sunt illius opera.
1. Liber formularum divinae intelligentiae.
2. Libri duo de difficilioribus quaestionibus novi et veteris Testamenti.
3. Paraenetica ad Valerianum cognatum.

Anno 529.

Sanctus Fulgentius primò fuit Abbas, Deinde Ruspensis Episcopus. Ita Arianos, et Pelagianos insecta-

tus est, ut molitione horum exulaverit jussu Trasimundi. Ejus opera sunt

1. Libri tres ad Monomium.

2. Liber unus, in quo respondet decem quaestionibus Arianorum.

3. Libri tres ad Trasimundum.

4. Liber ad Pintam Episcopum Arianum.

5. Liber ad Donatum de fide Orthodoxa.

6. Liber de fide ad Petrum Diaconum.

7. Alter liber ad eumdem de Incarnatione, et Gratia Christi.

8. Liber de Trinitate ad Felicem Notarium.

9. Liber ad Ferrandum suum Discipulum de Baptismo Æthiopis morituri.

10. Alter liber ad eumdem, in quo solvit quinque gravissimas quaestiones. Scilicet 1. An Trinitas sicut est inseparabilis in natura, inseparabilis quoque sit in Personis. 2. An sicut Filius dicitur natus, et passus, idem dici possit de Divinitate. 3. An Christus habeat de se eamdem notitiam, qua de se invicem habent Pater, Filius, et Spiritus Sanctus. 4. Cur orationes ad Patrem diriguntur, et terminantur per Filium, qui regnat cum Patre in unitate Spiritus Sancti? Nunquid Spiritus Sanctus non aequalem habet dominationem? 5. De calice in quo Christus in ultima Coena in suum Sanguinem vinum Consegravit.

11. Libri duo ad Euthymium de remissione peccatorum.

12. Libri tres de veritate praedestinationis, et gratiae.

13. Liber ad Reginum Comitem.

14. Epistolae familiares septem.

15. Multi Sermones primo decem, nunc alii octoginta excerpti ex Manuscriptis; sunt in Birb. pp. tom. 9.

Declinante Saeculo quinto

Maximus Episcopus Turinensis. Multas scripsit homilias, quarum aliae dicuntur Hyemales, et aliae aestivales. Hyemales sunt.

1. Duae de Nativitate Domini.
2. Una de Vigilia Nativitatis.
3. Sex de Natali Domini.
4. Una de Circumcisione Domini.
5. Octo de Epiphania.
6. Quindecim de jejunio Quadragesimale et bono Latrone.

Homiliae aestivales.

1. Quinque de Solemnitate Paschali.
2. Una de Litaniis dejejunio.
3. Una de Litaniis S. Stephani.
4. Una in Natali Sanctae Agnetis.
5. Una in Natali S. Joannis Baptistae.
6. Quinque in Natali Sanctorum Petri, et Pauli.
7. Tres in Natali S. Laurentii Martyris.
8. Duae in Natali S. Eusebii Vercellensis Episcopi.
9. Duae in Natali Sancti Cypriani.
10. Una in Festo Sancti Michaelis.
11. Una in Natali SS. Octavii, Aventitii, et Solutoris Taurinensium.
12. Una de communi Martyrum.
13. Septem pro instituendis moribus.

Anno 662.

Sanctus Maximus Abbas. Mirum in modum Sanctus iste laboravit contra haeresim Monothelitarum, quorum opera in exilium Missus ab Imperatore Constante Heraclii Filio ibi migravit in Coelum. Ejus opera sunt

1. Liber ad Thassium Presbyterum de variis Scripturae quaestionibus.
2. Liber Asceticus.
3. Liber de Charitate.
4. Alter liber de Theologia, de Filio Dei, de virtutibus exercendis etc.
5. Opuscula multa maxime contra Monothelitas.
6. Disputatio cum Pyrrho Monothelita.
7. Dialogi quinque de SS. Trinitate.
8. Orationis Dominicae expositio.

Anno 636.

Sanctus Isidorus episcopus Hispalensis. Ejus opera sunt

1. Liber Praemiorum.
2. Duo libri differentiarum.
3. Liber de ortu, morte, et Sepultura Prophetarum.
4. Duo libri officiorum.
5. Duo libri Synonymorum.
6. Liber de natura rerum ad Regem Sisebutum.
7. Liber de numeris.
8. Libri duo contra Judaeos.
9. Libri tres Sententiarum.
10. Liber Chronicorum ab origine mundi.
11. Liber de viris illustribus.
12. Liber Etymologiarum.

Anno 667.

Sanctus Ildefonsus Toleti Archiepiscopus fuit, et discipulus S. Isidori. Ejus opera sunt

1. Liber de quatuordecim viris illustribus, qui additus fuit lib. S. Isidori de Scriptoribus Ecclesiasticis.
2. Liber de Beatae Mariae Virginitate.

Anno 731.

S. Joannes Damascenus. Ejus opera sunt

1. *Parallela* de selectis Scripturae et Patrum Sententiis distributa in tres libros.
2. Libri quatuor de Fide Orthodoxa.
3. Oratio de iis, qui in fide obierunt.
4. Oratio de Transfiguratione Christi.
5. Oratio de Nativitate BB. Virginis.
6. Oratio de ejusdem Assumptione
7. Carmina de variis Christi Mysteriis.
8. Dialectae liber unus, et alter de Physica.
9. Liber de Haeresibus,
10. De natura Composita adversus Acephalos.
11. Dialogus contra Manichaeos.
12. Epistola de Trisagio.
13. Liber de duabus in Christo voluntatibus, et operationibus.
14. Oratio de modo, quo homo factus sit ad imaginem Dei.
15. Tres orationes de Imaginibus.
16. Vita S. Stephani Junioris.
17. Liber, cui titulus *Disceptatio Christiani*, et Seraceni.
18. Historia de Balaam, et Josaphat.

Anno 1072.

Sanctus Petrus Damianus Cardinalis, et Episcopus Ostiensis. Ejus opera continentur in tribus tomis

1. Primus tomus continet octo libros Epistolarum.

2. Alter tomus continet varios Sermones, et varias historias, praesertim multorum Sanctorum vitam.

3. Tertius tomus complectitur sexaginta Opuscula de variis argumentis.

Anno 1109.

Sanctus Anselmus Episcopus Cantuariensis. Ejus opera, de quibus non dubitatur, sunt

1. *Monologium*, libellus de modo meditandi res divinas.

2. *Prosologium*, libellus sententiarum.

3. Duo libelli pro, et contra insipientem.

4. Dialogus de veritate.

5. Dialogus de libero arbitrio.

6. Dialogus de lapsu Diaboli.

7. Dialogus de Grammatico.

8. Liber de Trinitate, et Dominica Incarnatione.

9. Duo libri, *cur Deus homo*.

10. Liber de Processione Spiritus Sancti contra Graecos.

11. Liber de Conceptu Virginali, et de peccato Originali.

12. Epistola ad Valeranum de nonnullis quaestionibus.

13. Epistola ad eumdem de diversitate Sacramentorum.

14. Egregius liber de Concordia praescientiae, praedestinationis, et gratiae cum libero arbitrio.

15. Liber Meditationum.

16. Libri tres Epistolarum.

Anno 1135.

Rupertus Abbas Tutiensis. Tardiori ingenio erat prius iste S. Pater, sed intercessione BB. Virginis adeo repente ipsi illustratus fuit intellectus, ut pauci inter Patres reperiantur, qui plura, et difficiliora opera elucubraverint. Ejus scripta juxta primam editionem Coloniae factam an. 1528 continentur tribus tomis.

Tomus primus.

1. Continet quatraginta duos libros de SS. Trinitate, et quidem tres de Patre, triginta de Filio, et novem de Spiritu Sancto.
2. Commentarium in Genesim.
3. Comment. in Exodum.
4. Comment. in Leviticum.
5. Comm. in Numeros.
6. Comm. in Deuteronomium.
7. Comm. in Josue.
8. Comm. in Judicum.
9. Comm. in libros Regum.
10. Comm. in Isaiam.
11. Comm. in Ieremiam cum Trehenis.
12. Comm. in Ezechielem.
13. Comm. in Danielem, Aggaeum, Zachariam, et Malachiam.

Tomus secundus.

1. Libri triginta duo Commentariorum in duodecim Prophetas Minores.
2. Libri tredecim de Victoria Verbi Incarnati.

Tomus tertius.

1. Libri tredecim de gloria, et honore Filii hominis.

2. Libri novem de glorificatione SS. Trinitatis, et Processione Spiritus Sancti.

3. Libri quatuordecim Commentariorum in Evangelium Joannis.

4. Libri duodecim Commentariorum in Apocalypsim.

5. Libri septem Commentariorum in Cantica Canticorum.

Anno 1152.

Sanctus Bernardus. Quanta; et quot merita in omni genere virtutum, sanctitatis, eloquentiae, scientiae, miraculorum, et ferventissimi zeli pro fide orthodoxa enumerari possunt, et recenseri de hoc tanto Ecclesiae doctore, nunquam vel in minima parte satis esse poterunt. Idcirco melius consilium erit si in hoc servemus silentium. Dicamus ergo breviter de illius operibus juxta tomos quatuor quibus continentur.

Tomus primus continet quatraginta quatuor Epistolas.

Tomus secundus amplectitur I. Quinque libros ad Eugenium Tertium de consideratione. II. Epistolam ad Henricum Archipraesulem Senonensem de moribus et officio Episcoporum. III. Librum ad Clericos de conversione. IV. Librum de praecepto, et dispensatione ad Abbatem Columbensem. V. Apologiam ad Abbatem sancti Theodorici. VI. Librum de laude novae militiae ad milites Templarios. VII. Librum de gradibus humilitatis, et superbiae. VIII. Librum de diligendo Deo. IX. Tractatum de Gratia, et libero arbitrio. X. Epistolam de Baptismo, aliisque quaestionibus. XI. Epistolam ad Innocentium secundum contra errores Abailardi. XII. Librum de vita, et gestis S. Malachiae Episcopi Hiberniae. XIII. Tractatum de Cantu.

Tomus tertius habet Sermones de diversis argumentis.

Tomus quartus exhibet 86. Sermones in Cantica Canticorum.

Anno 1274.

S. Thomas Aquinas. Adeo resplenduit S. iste doctor in Sanctitate et doctrina, ut communiter appelletur Doctor Angelicus. Ipse omni veritate dici potest compendium omnium Doctorum, et Theologus Theologorum. Sed sufficit elogium, quod illi tribuit idem Christus dicens. *Bene scripsisti de me*, *Thoma*. Ejus infinita quasi opera breviter exponemus in quindecim tomos distributa.

Primus tomus continet I. Vitam S. Thomae. II. Commentarium in primum, et secundum Perihermenias. III. Commentarium in primum, et secundum posteriorum Analyticorum.

Tomus secundus habet I. Commentaria in octo libros Physicorum. II. Commentaria in quatuor libros de Coelo, et mundo III. Commentaria in duos libros de Generatione.

Tomus tertius amplectitur I. Commentaria in quatuor libros Meteororum. II. Commentaria in tres libros de anima. III. In parva naturalia.

Tomus quartus exhibet I. Commentaria in duodecim libros Metaphysicorum. II. Tractatum de Ente, et essentia.

Tomus quintus habet I. Commentaria in decem libros Ethicorum. II. Commentaria in octo libros Politicorum.

Tomus sextus continet I. Commentarium in primum et secundum librum Sententiarum Petri Lombardi.

Tomus septimus praesefert Commentaria in tertium, et quartum librum sententiarum ejusdem Auctoris.

Tomus octavus praebet. I. Quaestiones jam disputatas. II. Quodlibetalia.

Tomusnonus Inscribitur *summa* contra Gentiles, quae in quatuor libros est distributa.

Tomus decimus includit *summam* vere admirabilem totius Theologiae. In tres partes ipsa discribuitur. In prima parte agitur de Deo uno, Trino, Creatore, de opere sex dierum, de Angelis, et homine. Secunda pars subdividitur in primam secundae, et in secundam secundae. In illa agitur de Beatitudine, de actibus humanis in genere, de virtutibus moralibus, et vitiis. De peccatis, et de legibus, et gratia. In *secunda secundae* disputatur in specie de virtutibus, et peccatis. Et quidem I.De virtutibus Theologicis, et vitiis oppositis. II. De virtutibus cardinalibus, et similiter de vitiis contrariis. III. De singulis virtutum, et vitiorum actibus. In *Tertia parte* agitur de Incarnatione, et de Sacramentis, et quidem in genere, et in particulari. Et haec admirabilis *summa* terminatur multis quaestionibus de quadruplici fine hominis.

Tomus undecimus haec continet commentaria. I. In Job. II. In primam quinquagenam Psalmorum. III. In Cantica Canticorum. IV. In Isaiam, Ieremiam, et Lamentationes, et Danielem.

Tomus duodecimus exhibet commentarium in Evangelium secundum Matthaeum, et Joannem.

Tomus decimustertius exhibet expositionem Evangelii secundum quatuor Evangelistas, et solet appellari catena aurea.

Tomus decimusquartus offert expositionem in omnes Apostoli Pauli Epistolas, quod opus etiam catena aurea nuncupatur.

Tomus decimus quintus complectitur omnia opuscula. Item varios sermones, et etiam officium in festo Corporis Christi.

Anno 1274.

Sanctus Bonaventura Doctor. Sicut Praedicatorum Ordinis decus, et gloria est Angelicus Doctor, ita ordinis D. Francisci Assisiensis decus est Seraphicus Doctor S. Bonaventura Sanctae Rom. Ecclesiae Cardinalis, et Episcopus Albanensis. Uterque una die doctoris munere Parisiis decorati sunt et semper summa necessitudine inter se fuerunt conjuncti. Tanta fuit fama Doctrinae et Sanctitatis Bonaventurae, ut adhuc viventem doctor Angelicus appellaverit Sanctum. *Sinamus Sanctum, quia laborat pro Sancto*, cum illum in extesim raptum vidit scribentem gesta Patriarchae Francisci. Et Gerson sic de illo scripserit *fuit Bonaventura in scribendo solidus, et securus, Pius, Justus, et Devotus . . . sint alii Doctores, qui dicantur Cherubici, Bonaventura Seraphicus simul et Cherubicus, quia inflammat affectum, et erudit intellectum.* Multa praeterimus ejus opera, et celebriora solum recensemus, quae sunt.


1. Liber inscriptus principium Scripturae sacrae.
2. Expositio in Exameron.
3. Expositio in Ecclesiastem.
4. Expositio in Sapientiam.
5. Expositio in Lamentationes Jeremiae.

6. Expositio in sextum Caput S. Matthaei.
7. Expositio in Evangelium Sancti Lucae.
8. Commentaria in quatuor libros Sententiarum.
9. Quatuor libri Magistri Sententiarum Carmine digesti.
10. Multi Sermones.
11. Liber de reductione artium ad Theologiam.
12. Breviloquium, in quo summatim instituta Theologiae exponit.
13. Centiloquium, sive Theologiae compendium.
14. Pharetra, in qua reperiuntur mirae Patrum auctoritates.
15. Declaratio Theologiae vocabulorum.
16. Liber de septem donis Spiritus Sancti.
17. Diaeta Salutis.
18. Meditationes vitae Christi.
19. Speculum SS. Virginis Mariae.
20. Formula de gradibus virtutum.
21. Liber de pugna Spirituali contra septem peccata Capitalia.
22. Saeculum animae rationalis.
23. Confessionale, scilicet modus quae excipi debent confessiones Sacramentales.
24. Expositio Missae.
25. Expositio in Regulam fratrum Minorum.
26. Determinationes quaestionum, quae ad Religiosos spectant.
27. Libellus apologeticus pro fratribus ordinis Minorum.
28. De paupertate Christi.
29. Apologia Paupertatis Evangelicae.
30. Biblia Pauperum.

31. Compendium Theologicae veritatis, et Mystica Theologia dubitatur num ad S. Bonaventuram spectent.

Et haec satis sint de locis Theologicis. Plura quidem, et non sine utilitate addi potuissent. Sed institutionis ratio non sinit. Quinimo et propterea missos quoque facimus caeteros locos a clarissimo Theologo Melchiore Cano, ut qui humana tantum certitudine, non vero divina concludunt, et saepe sola probabilitate.

Finis libri secundi.



INDEX

SECUNDI LIBRI

PARS III.

PARS IV.

PARS V.

PARS VI.

MONITUM

Praeter consuetos errores spectantes Orthographiam, et interpunctionem quos, quia non laeduut doctrinae sensum, non visum est hic notare, pariter ac fecimus in priori libro, error novus in hunc irrepsit, scilicet circa numerum ex ordine procedentem propositionum. Etenim propositio XIV. signata est numero XII.: et sic idem error progreditur usque ad ultimam exclusive. Veniam itaque petimus a Benevolo Lectore, et rogamus ut non miretur si in hoc verus numerus notatus in indice non respondeat illi qui reperitur in corpore libri.

